



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus VI. De Judæis & Saracenis, & eorum servis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcusse volumus observari, firmiter disponentes, quod d feriamus pœnâ debitâ transgressores.

NOTÆ.

2. a **H**onorius III. Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc titul. cap. unic. & tam inscriptionem, quam hujus textus historiam retuli in cap. super, ne cleric. vel monach. b Generali.) Lateranensi videlicet, relato supra in cap. quoniam.
2. c Annos quinque.) Hoc tempus non refertur ad docentes, sed ad studentes, qui per quadricennium, aut quinquennium solent studiis interesse

pro diverfitate scientiarum de quo temporis spatium agit Mancinus *Genial. cent. 2. cap. 151.* quem tranfcripsit Barbofa *tom. 6. in felect. ad hunc textum.*

d Feriamus.) Id est excommunicatione ligemus, ut etiam accipitur ferire in cap. 6. de rebus Ecclesie, ibi: *Anathemate feriat: & in can. 5. Synodi Vernensis, can. 7. Concilii Mogunt. & aliis vulgatis.*

Commentarium hujus textus dedimus in cap. licet, de prabend.

TITULUS VI.

De Judæis & Saracenis, & eorum servis.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio ^a Maticensi.



T licet quid de Christianis, quod aut captivitatis incurfu, aut quibuscunque b fraudibus Iudæorum servitio implicantur, debeant observari, non solum canonibus, sed & c legum beneficio jam pridem fuerit constitutum; tamen quia nunc ita quorundam querela exorta est, quosdam Iudæos per civitates, aut municipia consistentes in tantam insolentiam, & proteviam prorupisse, ut nec reclamantibus Christianis liceat vel pretio de eorum posse servitute absolvere: idcirco presentis Concilio Deo auctore sancimus, ut nullus Christianus Iudæo deinceps debeat servire; sed datis pro quolibet bono mancipio 12. d solidis, ipsum mancipium quicumque Christianus, seu ad e ingenuitatem, seu ad f servitium licentiam habeat redimendi; quia nefas est, ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis maneat irretiti. Quod si acquiescere his, quæ statuimus, quicumque Iudæus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum suum cum Christianis ubicunque voluerit habitare.

NOTÆ.

1. a **M**aticensi.) Ita legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 1. sed male, tam in ea, quam in hac sexta: legendum enim est, *Maticonensi*, in quo Concilio *can. 16.* reperitur textus hic, pro ut in presenti transcribo. Concilium hoc Maticonense r. celebratum fuit sub Pelagio II. temporibus Gunteranni Regis Gallie anno 581. hortatu ipsius Regis, ad morum reformationem, ac præcipue Iudæorum petulantiam coercendam, ut referant Baronius in eodem anno, Coriolanus in *summa Conciliorum*, Binius & Sirmundus in *notis ad ipsum*, tom. 3. Regie editionis, fol. 65. In eo editos fuisse viginti canones, scripsit Ado Viennensis Episcopus in *chron.* his verbis: *Post Philippum Episcopus vir sanctus Episcopus Viennæ levatus est. Hic cum sancto Prisco, & Artemio Senonico, & Remigio*

Bituricensi, & cum aliis sanctis Episcopis viginti capitula ecclesiastica perfecte roboravit. Dicitur est à Maticona civitate Gallie, de qua frater Sarmat. tom. 3.

b Fraudibus.) Venditionibus videlicet iniustis.

c Sed & legum.) L. 1. *Cod. ne mancipium christianum*, l. 57. *C. de Episcopis & cleric. & aliarum*, quas sequenti commentario dabimus.

d XII. solidis.) Jure civili æstimatio communis servi erat viginti solidorum, l. 3. *C. communia de legat. l. inter 26. §. final. ff. mandati. l. 4. ff. de servis fugit. l. Papinianus 8. §. final. cum duabus legibus sequentibus, ff. de inoffic. testam. l. 2. Cod. de fidei-commis. libert. l. si mulier. 31. ff. de minor. l. cum ex falsis 47. ff. de manumiss. testament. l. 1. §. 5. Cod. de communi servo: vel quindecim, l. ult. ff. de condit. institut. l. 35. Cod. de donationib. nisi aliqua arte, aut scientia essent præditi; juxta*

juxta distinctionem adductam in dict. l. 1. §. 5. vel si eunuchi essent, dict. l. final. Cod. commun. de legat. l. unica, §. fin. verò, Cod. de Latina libert. l. si servus 27. §. etsi 28. ff. ad leg. Aquil. quia pretiosiores erant, l. 3. §. idem, ff. ad leg. Corn. de sicar. Paulus lib. 5. sentent. tit. 23. l. final. ff. de oper. serv. l. sed 9. §. final. de injuriis, l. 3. §. 4. ad leg. Jul. de vi: ex rationibus, quas congerunt, & il-

lustrant Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 3. sect. 6. Basilius Legion. quest. 5. scholast. cap. 8. Salmut. ad Pancirol. lib. 2. tit. 2. pag. 93. De pretio foliodorum egi in cap. ex tua 20. de simonia. e Ingentiorem.) Id est libertatem, ut in cap. 1. de servis non ordin. f Servitium.) Permissum, ut expovit Bronchorst. miscel. cent. 1. assert. 4.

CAPVT II.

Gregorius Venantio Episcopo. ^a Lunensi.

Multorum ad nos relatione pervenit, à Judæis in Lunensi civitate degentibus, quantò à fraternitatis tuæ patientia operosior. Oportebat quippe te respectu loci tui, atque Christianæ religionis intuitu, nullam relinquere occasionem, ut superstitioni Judæica simplices animæ, non tam suasionibus, quàm potestatis jure quodammodo deservirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut secundum piissimarum ^b legum tramitem, nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in sua retinere domo. Sed si qui penes eos inveniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione servetur. Hi verò, qui in possessionibus eorum sunt, licet ipsi ex legum districtione sint ^c liberi, tamen quia colendis eorum terris diutiùs adhæserunt, utpotè conditionem loci debentes, ad colenda quæ consueverant, rura permancant, pensionesque prædictis viris præbeant: & cuncta quæ de ^d colonis, vel originariis præcipiunt, peragant, extra quod nihil eis oneris amplius indicatur. Quod si quisquam de his, vel ad alium migrare locum, vel in obsequio suo retinere voluerit, ipse sibi reputet, qui jus colonarium temeritate suâ, jus verò domini sub juris severitate damnavit. In his ergo omnibus ita te volumus solerter impendi, ut nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

NOTÆ.

^{1.} ^a Lunensi.) Lucensi, legitur in hac sextâ collectione, sed malè; legendum enim est, Lunensi, ut habetur in cap. presenti, § 4. dist. & in ipsa prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & in ipsis epistolis Gregorii, ubi lib. 3. epist. 21. indict. 12. reperitur textus hic: ex quo regeffro ita textum hunc restituo. Luna Etruria civitas in confinio Liguria, ad Macra fluminis ostia, per vetusta Tuscorum Colonia, inter 12. civitates numerata: meminerunt Luna Livius lib. 39. Silius Italicus lib. 8. relati à Ughello tom. 1. Italia sacra, fol. 893. Cathedra Episcopali decorata fuit jam à primis Ecclesiæ temporibus. Ejus Præsuli Sancto Venantio, quem nonnulli Laudensem Præsulem faciunt, rescribit in presenti Gregorius.

^b Legum.) L. 1. Cod. ne Christianum mancipium, l. 57. Cod. de Episc. & cleric.

^{2.} ^c Liberi.) Scilicet adscriptitii, de quibus egi in cap. 1. de servis non ordin. cap. 3. de immunit. Eccles. Unde Judæus potest habere adscriptitium Christianum in consequentiam ruris, quod possidet, ut docuerunt Azor part. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 22. Thom. Sanchez lib. 2. summa, cap. 31. num. 21. ex hoc textu, quem cum non animadvertent Platea in l. quemadmodum, numer. 9. vers. Si quid, Cod. de agricol. Surdus de aliment. tit. 8. privil. 89. num. 2. docuerunt, non posse Judæum emere fundum cui sunt adscripti servi Christiani.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

^d Colonis vel originariis.) De quibus plura D. Nicolaus de Castro in l. unic. Cod. de capitat. civium, ubi num. 19. textum hunc exponit.

COMMENTARIUM.

Ex his duabus cõstitutionibus sequens cõmuniter deducitur assertio: Iudæus Christianum mancipium retinere non debet, sed cogitur justo pretio Christianis vendere; & si renuat, servus eripitur in libertatem. Probant eam textus in cap. mancipia, cap. presenti, § 4. dist. cap. etsi, cap. multos, cap. Iudæos 17. quest. 4. cap. cum sit nimis, cap. multorum, cap. ad hæc, cap. final. hoc titulo, cap. 2. junctâ integrâ, de constit. cap. dilectus 29. de re scriptis, cap. consuluit, el. 3. de appellat. Zacharias in cap. 2. hoc tit. in 1. collect. Honorius III. in cap. unic. hoc tit. in 5. compil. Gregorius noster lib. 7. epist. 11. ad Brunichildem Reginam, ibi: Mirari sumus, quod in regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis; quid enim sunt omnes Christiani, nisi membra Christi, &c. Concil. Meldense. can. 73. Christiana mancipia que à Iudæis adducuntur, aut possidentur, aut mandatoribus contradantur, aut certè Christianis emptoribus intra diem quadragesimum veniunt, & transacto hoc dierum numero, nec apud eos quolibet modo remaneant. Si autem quedam ex istis mancipiis talem agritudinem fortassis incurerent, ut infra statutos dies vendi non valeant, adhibenda sollicitudo est, ut dum saluti fuerint pristina restituta, similiter modis omnibus distrabantur, &c. nec Christiana mancipia in domo Iudæi habitare sinantur.

M 3

nantur.

nantur. Aurel. 3. cap. 13. De mancipiis Christianis, quæ in Iudeorum servitio detinentur, si eis quod christiana religio vetat, à dominis imponitur; aut si eos de Ecclesia excusatos tollant pro culpa, quæ remissa est, & affligere, aut cadere fortasse præsumperint, & ad Ecclesiam iteratò confugerint, nullatenus à sacerdote reddantur, nisi pretium offeratur, ac detur. Aurel. 4. can. 27. Meld. can. 73. Iudeis christiana legis nolumus servare personas, ne occasione domini sectam veneranda religionis immutent. Tolet. 4. can. 65. Ex decreto gloriosissimi Regis hoc sanctum elegit Concilium, ut Iudeis non liceat Christianos servos, nec Christiana mancipia emere, nec cujusquam consequi largitate. Nefas enim est, ut membra Christi serviant Antichristi ministris. Quod si deinceps servos Christianos, vel ancillas Iudæi habere præsumperint, sublatis ab eorum dominatu libertatem à Principe consequantur. Tolet. 8. num. 12. Cabilon. can. 9. Basil. sess. 19. quæ & alia juris testimonia referunt Ant. August. in epit. juris, lib. 12. tit. 5. Crespetius in summa, verbo Iudæi servos. Consonant lex 1. 4. & 5. Cod. de Iudeis, lex 22. eod. Cod. de Pagan. lex 59. eod. Cod. de heret. lex. 5. eod. Cod. de contrahenda emptione. lex 1. Cod. Justin. ne Christianum mancipium, lex ea quæ 56. Cod. de Episc. & cleric. Novella 144. Justin. cap. 2. lex 10. tit. 3. lib. 12. legum Visigoth. lex finalis, tit. 2. part. 4. lex 13. tit. 9. part. 6. lex 10. tit. 24. part. 7. Illustrant Theologi cum D. Thoma ad 2. 2. quæst. 10. art. 10. Tapia tom. 2. catena mor. lib. 1. cap. 5. art. 5. P. Suarez de fide disput. 18. sect. 5. I. Gothofr. in l. 22. Cod. Theodof. hoc tit. Thomas Delbene tom. 2. de offic. Inquisit. dubit. 23. sectar. 18. Riccius lib. 2. de iure person. cap. 28. Hunnius in encyclop. part. 1. tit. 9. Corvinus in amphorism. juris Pontif. lib. 4. tit. 4. & 5. Azor 1. part. instit. lib. 8. cap. 22. Gutierrez de delict. lib. 1. quæst. 31. Martha de iurisdic. part. 1. cap. 24. numer. 22. Acunna in cap. mancipia, 54. dist. Lindébrog. in Glossario, verbo Iudæi mancipia, Scortia in select. Pontif. constit. epit. 27. theoremat. 74. Becanus in opusculo de fide, cap. 13. quæst. 7. Mancinus in l. ult. Cod. de Episc. & cleric. Decianus lib. 5. tract. crim. cap. 10. Cujac. ad tit. ne Christianum mancipium, D. Nicolaus de Castro in l. unic. Cod. de capit. civium, num. 29. Espenceus lib. 2. digress. cap. 17. Solorzanus de iure Indiar. lib. 2. cap. 11. num. 56. & lib. 3. cap. 5. num. 59. Larrea decis. 9. Granat. num. 34. Opingius de iure insign. cap. 2. numer. 62. Simanchas de catholice. tit. 61. num. 16.

4.
Impugna
tur tradi
ta assertio.

Sed hæc assertio difficilis valdè redditur sequentibus juris rationibus. Prima ex eo, nam emere quis, vel vendere rem propriam non cogitur, l. nec emere, Cod. de iure delib. l. inquit, Cod. de contrahend. emptione, ergò Iudæi cogi non debent servos proprios, & legitime acquisitos vendere, præcipue cum Ecclesia in Iudæos non baptizatos nullam habeat iurisdictionem, juxta illud D. Pauli: De his qui foris sunt, quid ad nos? Ergò Iudæi per Iudices ecclesiasticos cogi nequeunt servos Christianos vendere. Secundo difficilis est præfens assertio, dum in ea docetur, Iudæum remuentem vendere Christianum mancipium, ejus dominio privari, servumque liberum fieri, ac proclamare posse ad libertatem; nam receptior, communiorque sententia est, infideles ob solam infidelitatis causam privari non posse dominio, quod habent supra fideles, ut post D. Thomam docent Victoria relect. 1. de Indis, numer. 6. Socus in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 10. Bellar-

minus tom. 1. controver. lib. 5. cap. 2. pluribus relatis Solorzanus tom. 1. de iure Indiar. lib. 2. cap. 11. num. 58. Igitur Iudæi, eo quod sales sint, non debent privati dominio servorum, quod ex jure gentium, mediante captivitate, vel emptione acquisierunt. Accedit deinde, nam si ex duobus conjugibus unus ad fidem catholicam convertatur, alterque converti renuat, si velit cohabitare sine contumelia Creatoris, non potest Catholicus eam deserere, immò potius cum ea cohabitare debet, cap. gaudemus, de divortis, ubi probavimus. Igitur multò magis servi, etsi domini eorum baptizari renuant, non debent eos deserere, & ad libertatem proclamare.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, cujus ratio assignatur in præfenti textu, & in cap. etsi Iudæos, hoc tit. ne vide licet filii liberæ famulentur filiis ancillæ, sed tanquam servi à dominis reprobati, se saltem per effectum operis recognoscant servos esse Christianorum. Accedit quia Iudæi quidem, ex quo Christum Dominum nostrum Regem agnoverunt ante faciem Pilati, & Regem Casarem agnoverunt, 10. annis cap. 19. Actuum Apost. cap. 17. communi Romano jure adeo vivunt in causis, tam ad eorum superstitionem, quam ad forum, leges ac judicia pertinentibus, ut etiam quædam juxta legem suam eis licita retinere prohibentur. Nec enim, exempli gratiâ, possunt in diversa sub uno tempore conjugia convenire, l. Iudæi, l. nemo, Cod. de Iudæis, quæ sunt Arcadii, Honorii, & Augusti, Quibus prior Constantinus legem tulit, ne Christianum mancipium Iudæus possideat; l. unic. Cod. ne mancipium Christianum. Referunt Eusebius in ejus vita, cap. 27. ibi: Sanxit etiam, ne Christianus quisque serviret Iudæis. Sozomenus lib. 3. cap. 17. Sed hanc constitutionem etiam ad Paganos & hæreticos porrexit Justinianus in l. final. Cod. de Episc. & cleric. ita ut similes servi liberi fierent: cujus legis auctoritate Patres Ecclesiæ servos Christianos Iudæorum, legum restrictione liberos esse, & ad libertatem juxta legum præcepta perducendos in præfenti sanxerunt, & in iuribus supra relatis. Accedit præcipua ratio timoris subversionis; nam facile Iudæi servos Christianos subverterent blanditiis, aut tormentis, & eorum dominatio intollerabilis fieret, nam ut ait Cicero Philippica 3. Cum omnis servitus sit misera, tunc verò intolerabilis servire impuro. Sic Sofia Amphyrionis servus apud Plautum in Amphyrione.

Ergò in servitute expetunt multa iniqua:
Habendum & ferendum hoc opus est cum labore.

Merito ergò Ecclesiæ PP. statuerunt, Iudæos mancipium Christianum possidere non posse, sed potius illum vendere XII. solidis Christiano cogi, si illum mercimonii causâ emissent, aliâs eripiendum esse in libertatem. Jure nostro Regio in dict. l. 2. tit. 22. part. 4. l. 22. tit. 11. part. 5. l. 10. tit. 24. part. 7. poena mortis injungitur Iudæis, qui mancipia Christiana detinere præsumperint; & in l. 13. tit. 9. part. 6. prohibetur mancipium Christianum Iudæo legari, & instrumentum, quo venditio mancipii Christiani Iudæo fit, invalidum declaratur in l. 6. tit. 3. part. 3. & judicium, quo id comprehenditur, contra leges esse, & invalidum, traditur in l. 1. tit. 2. part. 3. quibus additur, quæ tradit Azevedo in l. 2. tit. 2. lib. 8. Recopil. à num. 29.

Nec

6.
Diffi-
tur ratio
dubitandi

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet regulariter verum sit, neminem cogi rem propriam vendere, ut probat Heraldus lib. unic. emend. cap. 26. ubi exponit legem 9. ff. de actione rer. amot. ar. legem 65. s. 1. legem 70. ff. de R. N. sapè tamen contrarium observatur, & tenetur dominus rem propriam distringere, ut probat Hermosilla in l. 3. tit. 5. part. 5. Vnde ob causam ita justam, ut est periculum subversionis, mirum non est, ut teneatur judæus servum Christianum vendere. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, pro cuius solutione sciendum est, valde controversum esse inter Doctores, an infideles ex eo tantum, quod infideles sunt, possint privari dominio quod habent supra Catholicos? Quam questionem disputant Covar. in regula peccatum, 2. part. §. 11. num. 5. de regul. juris. Salo. in tract. de dom. quest. 3. art. 1. Sayrus in Clavi Regia lib. 9. cap. 6. num. 12. Lessius de iust. lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 11. Acunna in dict. cap. mancipias, Bannes ad 2. 2. tract. de fide. cap. 13. In qua questione D. Thomas 2. 2. quest. 10. art. 10. affirmativam sententiam tenet ex ea ratione, quia infideles propter suam infidelitatem digni sunt, ut priventur omni dominio. Alii simpliciter negant, & utramque sententiam problematicè probat perdoctus Solorzanus ubi supra, qui videndus est; nam quoad præsentem casum facilis est solutio, siquidem in eo agunt Ecclesiæ Patres de Judæis subiectis Principibus Christianis, à quibus virtute supremæ potestatis, & dominationis lex lata est, ut nullus Judæus Christianum mancipium possideat, aut retineat, dict. l. 1. Cod. de Christ. mancip. & Princeps Christianus potuit talem legem in sua ditione promulgare, ut aliud tributum illis indicere valebat. Vnde notandum est, tam in hoc cap. 1. & 2. quam in aliis canonibus supra relatis, dum de hac privatione domini Judæorum in servos Christianos PP. agunt, semper referre suas constitutiones ad leges seculares in dict. cap. 1. ibi: *Legum beneficio Concil. Tolet. 4. can. 65. Ex decreto gloriosissimi Regis. Notavit Larrea dict. decis. 9. num. 35.* Accedit, nam Ecclesia potestatem habet cohibendi & puniendi infideles, si non pœnis spiritualibus, de qui-

bus, accipiendus est D. Paulus supra laudatus, pœnis temporalibus, & corporalibus, cap. postulasti, cap. consuluit, hoc tit. cap. iudei, de cœsibus, cap. post miserabilem, de usuris, cap. in Archiepisc. de rapt. probat fuisse Solorzanus tom 1. lib. 2. cap. 15. num. 4. Nec tandem obstat, quod expendebamus de matrimonio Catholici cum Gentili; nam cum ambo in ipsa gentilitate validè quoad vinculum matrimonii contraxerint, alio ad fidem converso, altero in infidelitate remanente, non dissolvitur matrimonium nisi infidelis cohabitare renuat sine contumelia Creatoris ut probavi in can. 10. Concilij Illber. propter vinculum contractus legitime celebrati, quod in præsentem casu non datur; & ita ob conversionem servi ad fidem Catholicam privari potest dominus ejus dominio.

Sed supra traditæ assertioni obstat textus in can. 3. Concilij Gangren. in illis verbis: *Si quis docet, servum pietatis prætextu dominum contemnere, & à ministerio recedere, & non cum benevolentia omni honore domino suo inservire, sit anathema.* Refert Gratianus in cap. si quis servum, 37. dist. & ex Martino Brachar in cap. si quis 17. quest. 4. Igitur non rectè in præsentem docetur, servum Christianum proclamare posse ad libertatem, quando dominus ejus Judæus est, renuitque ipsum justo pretio vendere. Pro cuius canonis expositione dicendum est, quod illis prioribus Ecclesiæ sæculis, cum celebratum fuit Concilium Gangrense, quando sub Principibus Gentilibus fideles erant, ne cui christiana religio invida videretur, & ut obtrectatores quid in ea reprehenderent, non haberent, sed magis erubescerent, magnâ curâ prædicatum, & observatum fuit, ut servi diligenter dominis suis obedirent, honoremque impenderent. D. Paul. ad Titum cap. 1. Pace verò datâ, & libertate externa per Principes Catholicos Ecclesiæ restituta, Cæsares ipsi, & Ecclesiæ Patres statuerunt, ne Judæi Christianum mancipium possiderent, ut docuit Espenceus ad epist. Pauli lib. 2. digress. cap. 17. & ita ad priora illa sæcula referendus est dictus canon Concilij Gangrensis, quod celebratum fuit anno Christi 324.

7.
Exponitur
can. si
quis ser-
vum, 17.
dist.

CAPVT III.

Gregorius Iannario Episcopo. a Caralitano.

Iudæi de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quod Synagogam eorum Iquæ Caralis sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianam fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est b Dominico, in ipsa festivitate Paschali, cum gravi scandalo, sine vestra occupaverit voluntate, atque imaginem illic Genetricis Dei, Domini que nostri, & venerandam crucem, & birrum e album, quo de fronte resurgens indutus fuerat, posuisset. De qua re, & filiorum nostrorum Eupaterii gloriosi magistri militum, atque magnifici Pii in Domino Præsidis, aliorumque nobilium civitatis vestræ ad nos hæc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiam adjecerunt à vobis hoc præsentum, & prædictum Petrum, ne hoc auderet, fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omnino laudavimus, quia sicut revera bonum decuit sacerdotem, nihil fieri unde justa esset reprehensio, voluistis. Sed quia per hoc, quod minimè vos in his, quæ prævæta sunt, miscuistis, displicere vobis quod factum est, demonstrastis: considerantes hæc de re vestræ voluntatis intentum, ac magis iudicium, his hortamur assatibus, ut sublatâ exinde, cum ea, quâ dignum est, veneratione, imagine, atque cruce, debeat quod violenter ablatum est, reformare, quia sicut d legalis definitio Iudæos novas non patitur erigere Synagogas,

M 4

ita

ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo supradictus Petrus, vel alii, qui ei in hac indisciplinationis pravitate præbuere solatium, sine consensu hoc zelo fidei se fecisse respondeant, ut per hoc quasi eis necessitas fieret convertendi, admonendi sunt, atque scire debent, quia hac circa eos temperantia magis utendum est, ut trahatur ab eis velle, non reniti, non ut adducantur inviti, quia scriptum est: Voluntariè sacrificabo tibi: id est, ex voluntate mea confitebor tibi. Sanctitas ergo vestra gratiam inter civitatis suæ habitatores, adhibitis sibi filiis suis, quibus unà vobis hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut eam decet, studeat facere, quia in hoc maximè tempore, quando de hoste formido est, divisum habere populum non debetis. Quia verò non minorem de vobis, quam de nobis sollicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curavimus, quod finitâ hac pace, Agiulphus Longobardorum Rex pacem non faciet. Vnde necesse est, ut fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam, vel alia loca fortiùs muniri provideat, atque immineat, ut abundanter in eis condita procurentur: quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inveniatur quod lædat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quantum possumus cogitamus, & iis, quorum interest, ut se ad obfistendum, Deo ad jutore præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

NOTÆ.

1. a **C**alaritano) Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. & in ipsis epistolis D. Gregorij, ubi lib. 7. indict. 2. epist. 5. reperitur textus hic: ex quo regestro cum transcribo. De Calaritana dicecesi nonnulla adduxi in cap. final. de postulat. Pralat.

2. b **D**ominico in ipsa festivitate Paschali.) Paschatis enim Sabbatum ex veteri Ecclesia instituto baptismi sacramento conferendo destinatum fuisse, probant Victor Papa in epist. 2. ad Theophilum Alexand. Episcopum, ubi: Celebratam sancti Pasche die Dominica agi debere, & predecessores nostri jam statuerunt, & nos illud vobis eadem celebrari solenniter mandamus: à quarta decima verò luna primi mensis, usque ad vigesimum primum eiusdem mensis diem eadem celebratur festivitas: eodem verò baptisimus celebrandus est. Catholicus Tertul. de baptisimo cap. 19. Diem baptisimo solenniorum Pascha præstat, cum & passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est. Nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum, invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem. Pascha celebranda locum de signo aqua ostendit. D. Basil. de exhort. ad baptismum: Quod tempus Baptismo cognatum est, quam Paschalis dies? quod ea lux resurrectionis monumentum quoddam existat. Baptismi namque ad resurrectionem facultas, arraboque est resurrectionis. Ergo gratiam inde resurrectionis excipiamus. Et cap. sequitur 90. de consecrat. dist. 4. Plura congerit, rationem huius sacri ritus illustrans Joseph. Vicecomes lib. 1. de ritibus Baptismi, cap. 19. cum sequentibus.

3. c **B**irrum album.) In ipso baptisimo vestem candidam dari recenter baptizatis, jam à temporibus Apostolorum usque ad nostra sæcula, constat ex Dionysio de Eccles. hier. arch. cap. de baptisimo, ubi: in tribus eius, qui initiatur, demersionibus, emersionibusque, trium divina beatitudinis personarum nomina appellat, & invocat, acceptumque eum sacerdotem, & sponsorij, & duciviam permittunt, eundemque cum veste eo digna induerunt. B. Cyril. Hierosol. Excutis vestibus antiquis, & his, quæ sunt secundum spiritum alba, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. D. Chryl. homil. in psal. num.

118. **H**abete tunicam mundam, sicut accepistis in baptisimo: nullus eam maculet moribus suis, nullus pravitate cordis scindat tantam pulchritudinem vestis: talem accepistis vestem in baptisimo, qualem habuerunt Angeli, qui servabant Dominum in sepulchro: quia sicut nix ita erat vestis eorum. Fortunatus lib. 4. de Iud. ad fid. adductis.

Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor Ducitur, & vario lumine picta dies.

Meminerunt huius sacri ritus quamplures Ecclesie Patres, nec non Historici congesti à Josepho Vicecomite lib. 5. de ritibus baptismi, cap. 6. cum quatuor sequentibus. D. F. Joseph. à Sancta Maria Carthusianus de caremonis Baptisimalibus, cap. 25. & 26.

d **L**egali.) Relata in l. ult. Cod. de Iudæis.

e **S**criptum est.) Psalm. 53.

f **M**unerij provideat.) Quod etiam eidem commendat eodem lib. 7. epist. 2. his verbis: Quid in Sardinia hostes nostri fuerint operati prius quam fraternitatis vestra epistola ad nos perveniret: agnovimus: & quia hoc futurum dudum metuimus, evenisse quod prævidimus, nobiscum nunc gemimus. De hac pace cum Agiulfo inita nonnulla adduxi in cap...

COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Iudæi inter Christianos commorantes veteres synagogas rescere, & reparare valent; novas verò erigere nequeunt. Probat eam idem Gregorius lib. 1. epist. 34. ad Iohannem Episcopum Taracinen. ubi: Ioseph præsentium lator Iudæi insinuavit nobis, quod de loco quodam, in quo ad celebrandas festivitates suas Iudæi in Taracinesi castro consistentes convenire consueverant, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum pro colendis similiter festivitatibus suis, te quoque noscente, & consentiente migraverint; & nunc de eodem loco etiam expulsos se denuo congerunt. Quod si ita est, volumus ut tua fraternitas ab his invidiis se querela suspendat, & ad locum, quem, sicut prædiximus, cum tua conscientia, quo congregentur, ad epi sunt, eis sicut mos fuit, liceat convenire. Et l. final. §. penult. Cod. de Iudæis. Theodorici in suo

suo edicto apud Cassiodorum lib. 2. epist. 27. ibi: Sicut exorati justum cupimus prebere consensum; ita per nostra beneficia fraudes fieri legibus non amamus, in ea parte præcipue, in qua divina reverentia credimus interesse. Ne ergo insultare videantur elari, divinitus gratiâ destituti. Quapropter regnum tantum vetustis parietibus superimponere Synagoga vestre, præsentem vos auctoritate censemus, petitionibus vestris eatenus licentiam commodantes, quatenus constituta divalia permiserunt. Nec aliquid ornatus fas sit adicere, vel in amplandis adibus evagari. Noveritis vos severitatem minime dissiugere veteris sanctionis, si rebus non abstinence illicitis. In ipsis vero parietibus cooperiendis, vel reficiendis tantum licentiam damus, si vobis tricennalis non potest obesse prescriptio. Quid appetitis, quæ refugere deberetis? Damus siquidem permissum, sed errantium votum laudabitur improbum. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur ut credat invitus. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præsentem, P. Gregor. lib. 2. partit. tit. 5. cap. 2. Mendoza lib. 3. Concil. Illiber. cap. 46. & 47. Cujac. lib. 16. observ. cap. 3. Azor p. 1. instit. cap. 22. Jacob. Gothofred. in opuscul. de templis demolendis, Thomas Delbene part. 1. de offic. Inquisit. dubit. 236.

6. Sed pro dubitandi ratione ita argumentor. Perduellium, tyrannorumque ædificia solo coquantur in penam tam gravis sceleris, l. is cum quo 20. ff. commun. divid. l. 2. §. si quis nemine, l. ult. ff. ne quid in loco publico, l. fideicommissa 11. §. qui illiciti, ff. de legat. 3. l. 24. ff. de penis. Illustrant Vulteijs discip. jur. cap. 9. Durantius Casel. lib. 2. var. cap. 16. Cabreros lib. 2. de metu, cap. 30. num. 6. Sed nulla potest admitti culpa major, quam Judaica superstitio, & Judæorum perfidia. Igitur eorum Synagoga non reficienda, immò diruenda, evertendaque omnino sunt. Facit exemplum Paganorum templa claudi, & demoliri jubetur in l. 1. l. omnia §. Cod. de paganis, l. 4. Cod. Theodos. eod. tit. l. 16. eod. tit. & Cod. si qua in agris templa sunt, sine turba ac tumultu diruantur; his enim dejectis, atque sublati, omnis superstitionis materia consumetur. D. August. lib. 18. de civit. Dei, cap. ult. In civitate novissima Carthagine Africa Gaudentius, & Jo. vius Comites Imp. Honorii xiv. Kal. April. fallorum Deorum templa everterunt, & simulacra frægerunt: quas constitutiones SS. Patrum collandarunt, immò & auctores earum se præstiterunt, ut constat ex S. Cypriano in exhort. ad martyr. cap. 5. ubi alia citat Pamelius ex Eusebio lib. 2. de vita Constantin. cap. 34. & 44. & lib. 4. cap. 23. Rufino lib. 2. hist. cap. 19. Nicephoro lib. 7. cap. 46. & lib. 8. cap. 33. Ambrosio lib. 5. epist. 30. Augustino lib. 1. de epistolis Parmen. cap. 7. & epist. 48. & 50. nisi exinde publicus urbis aspectus deformetur; nam tunc propter ornatum civitatis demoliri non debent, l. sicut, Cod. eod. tit. ad quem ornatum respexerunt PP. Concilii Africani sub Bonifacio can. 5. in illis verbis: Instant etiam alie necessitates à Religiosis Imperatoribus postulanda, ut reliquias Idolorum per omnem Africam subeant penitus amputari; nam plerisque in locis maritimis, atque possessionibus diversis adhuc erroris istius iniquitas viget, ut præcipiant & ipsa deleri, & templa eorum, quæ in agris, vel in locis abditi constituta, nullo ornamento sunt, jubentur omnimodo destrui. Quam demolitionem templorum probant,

& illustrant Joannes Baptista Fikerus in Theolog. Juridic. fol. 507. I. Gothofred. in opuscul. de templ. demol. Solorzanus tom. 2. lib. 1. cap. 24. num. 53. Justel. ad can. 58. Eccles. Afric. Igitur similiter synagoga, in quibus Judaica festivitates, & caeremonia exercentur in opprobrium Catholicæ Religionis, omnino sunt diruendæ, evertendæque, non verò reficiendæ, aut reparandæ. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si Judæis simul cum Catholicis commorantibus permitteretur Synagogas habere, easque reficere, & reparare, concederetur illis earum usus, id est exercitium caeremoniarum suæ religionis, quarum causâ Synagogas ædificant, in eisque conveniunt, ut infra dicemus: sed Judæis commorantibus inter Catholicos prohibetur usus suorum rituum, ut mortuos cum cantu sepelire. Concil. Narbonense sub Recharedo ibi: *Judæis non licet corpus defuncti deducere psallendo, sed ut eorum habuit mos, & consuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant. Pascha celebrare.* Concil. Tol. let. 2. can. 9. ibi: *Ne Judæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcissionem exercent.* Igitur frustra illis permittitur synagogas reficere, & habere. Augetur secundo hæc dubitandi ratio ex eo, nam reficere ædificare est, l. 1. §. 9. ibi: *Ædificare autem, non solum qui novum opus molitur, intelligendus est, verum is quoque, qui vult reficere.* Sed novas Synagogas ædificare Judæis non licet: igitur nec veteres reficere.

7. Quæ dubitandi ratione ita fultat non obstant, vera est præfens assertio, pro cuius expositione scire oportet, Synagogam dictam esse à Græco verbo *synago*, quod est *colligo*; unde synagoga Græcè, Latine dicitur collectio: quare loca illa, ubi Judæi congregabantur ad legendam, & audiendam legem Moisaicam, Synagoga dicebatur. Nec tantum Synagoga Judæorum erant in Judæa, & Galilæa, verum in aliis provinciis, ubi Judæi degebant, veluti Damasci, Salaminae, Antiochia, Pifidie, Thessalonicae, Athenis, Cerinthi, Ephesi, ut habetur in actibus Apostolorum cap. 9. vers. 2. cap. 13. vers. 5. cap. 14. vers. 1. cap. 17. vers. 1. & cap. 18. vers. 4. nam in illis civitatibus habitabant Judæi permixti cum Gentilibus, ut patet ex locis citatis. Unde etiam Synagoga, quæ ibi erant, non appellabantur Synagoga Gentilium, sed Judæorum. Actorum cap. 13. vers. 5. *Cum venissent Salaminae, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum.* Et cap. 14. vers. 1. *Factum est autem Iconii, ut simul introirent in Synagogam Judæorum.* Et cap. 17. vers. 1. *Venerunt Thessalonicam ubi erat Synagoga Judæorum.* Et earum usum apud Judæos invaluisse ante constructionem templi, probant Cochier. in face histor. cent. 2. cap. 27. Beccanus in analog. cap. 12. num. 38. & ultimis temporibus refert Sigonius de Repub. Hebraor. lib. 2. cap. 8. in urbe Hierosolyma trecentas octoginta Synagogas constructas fuisse, eo quod Judæi eo ex omnibus regionibus convenirent. Erant ergo Hierosolymis Synagoga peregrinorū, & templū civium: in reliqua verò Judæa, & Galilæa, & in cæteris provinciis, in quibus Judæi post dispersionem versabantur, erant etiam Synagoga incolarum, quibus Hierosolymam adire non erat commodum. De Hierosolymitana una Synagoga mentio fit præcipue Actuum Apost. cap. 6. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, ac

7. De Synagogis Iudeorum.

eorum

eorum qui erant à Sicilia, & Asia, disputantes cum Stephano. Hi enim omnes erant Judæi, verum in provinciis habitantes, qui cum Hierosolimam negotiorum suorum causâ adibant, non ad templum, sed ad synagogam, quam ipsi sibi paraverant, convenire instituerant. Item apud Joannem cap. 8. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt. De cæteris cap. Actuum 15. Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Per Moysen autem intelligit libros ejus. He verò synagoga aliquando à privatis hominibus etiam Gentilibus, pii officii causâ construebantur, ut fuit illa Luca 7. in Capharna à Centurione Romano; sic enim dixit Iudæi: Dignus est ut sanes illi servum, diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificavit ipse nobis. In singulis synagogis erant cathedra, & sedilia, in quibus sedebant tum illi qui legebant, & explicabant legem Moysis; tum illi qui audiebant, ut patet ex cap. 23. Matthæi, vers. 6. ubi de Scribis & Phariseis dicitur: Amant primas cathedras in synagogis.

8.
De usu
Synagogarum.

Secundum ad usum, in quem ædificata fuerunt synagoga, perveniamus sciendum est, triplici ex causa synagoga à Judæis construi. Prima ad docendum; nam solebant DD. populi singulis Sabbathis convenire ad synagogas, ibique legere, & explicare libros Moysis, ac Prophetarum. Actuum Apost. cap. 15. vers. 21. ibi: Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Ordinarii autem DD. erant Scribæ, & Pharisei, de quibus cap. 23. Matthæi, vers. 2. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisei. Quod officium sæpe exercuit Christus Dominus, ut refertur Marci cap. 1. vers. 21. ibi: Sabbathis ingressus in synagogam docebat eos. Et cap. 4. Luca, vers. 15. ibi: Et docebat in synagogis eorum. Alio quandoque illuc accedentes invitabantur ad prædicandum, ut de Paulo, & Barnaba legitur Actuum Apost. c. 13. vers. 14. Ingressi synagogam die Sabbathorum sederunt: post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserant Principes synagoga ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israël, & qui timetis Deum, audite, &c. Sic etiam & Christus Dominus ab eis invitatus docuit in synagoga, ut refertur Luca cap. 4. vers. 16. Secundò solebant Judæi orationis causâ convenire in synagogis, ut constat ex cap. 6. Iudith, vers. 21. ibi: Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt petentes auxilium à Deo Israël. Ubi per Ecclesiam non potest aliud intelligi, quam synagoga, ut etiam accipitur psalmo 25. vers. 12. & psalmo 67. vers. 27. & constat ex cap. 6. D. Matthæi, vers. 5. ibi: Cum oratis, non eritis sicut hypocrite, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Tandem solebant Judæi in synagogis punire eos, qui verè deliquerant, vel falsò putabantur deliquisse, juxta illud Matthæi cap. 1. vers. 17. In synagogis suis flagellabunt vos. Et cap. 23. Matthæi, vers. 34. Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris. Et Actuum Apost. cap. 22. vers. 19. Ego eram concludens in carcere, & cadens per Synagogas eos, qui credebant in te. Et cap. 26. vers. 11. Per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare. Plura de his synagogis, & earum religione congeste-

runt ultra Theologos positivos in locis sacra pagina supra relatis, Tornicellus in annalibus, anno mundi 2594. Becanus in analogia, cap. 12. Kochier in face histor. cent. 2. cap. 27. Simon Majolus dierum Canonic. cent. 2. cap. 27. Novarinus lib. 5. scheidasm. cap. 20.

His suppositis ratio præsentis assertionis, quare videlicet Judæis permittitur retinere veteres synagogas, & reficere, non verò novas construere, provenit ex eo, quia et si Judæi foveri non sint, immò potius arguendi, & increpandi, tamen in suis synagogis inquietandi non sunt; quod & Romani Imperatores, qui illis valde infesti fuerunt, & Ecclesiæ PP. statuerunt. Imperatores in l. spadonem 15. §. 6. ff. de excusat. tutor. ibi: Iam autem Iudæi, & non Iudeorum tutores erunt, sicut & reliqua administrabunt. Constitutiones enim in iis solum sine molestia esse jubent, per quæ cultus inquinari videtur, l. 3. §. final. ff. de decur. l. 2. l. die 13. Cod. de Iudæis, l. Christiani 6. Cod. de paganis, l. 24. Cod. Theodos. cod. iii. Solorzans tom. 2. de Iure Indiar. cap. 10. quare et si eorum collegia improbata essent, ut probant Brissonius lib. 1. select. cap. 4. Osualdus lib. 1. 8. Donelli, cap. 7. littera N. (et si contrarium teneat Cujac. lib. 7. observ. cap. 30.) tamen eorum Synagoga immunes erant ab hospitio, eorumque ritus tolerabantur, veluti circumcisio, l. circumcidere 11. in princip. ff. ad leg. Cornel. de sicariis. Feriæ Neomeniarum, aliarumque solemnitatium, l. final. Cod. Theodos. de feriis, l. 20. cod. Cod. de Iudæis, l. 8. eod. Cod. de executionibus: Ideoque Iudæum in jus vocari non posse die Sabbathi, docetur in l. die 13. Cod. de Iudæis. Unde rectè Fornerius lib. 2. rer. quotid. cap. 4. restituit negationem in l. Iudæi 8. Cod. de Iudæis: ubi vulgò legitur: Iudæi communi Romano jure viventes in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges: cum legendum sit, in his causis, quæ non tam ad superstitionem eorum, ut habetur in l. Iudæi, Cod. Theodos. de Iudæis. Facit Cassiodorus lib. 5. epist. 37. ibi: Libenter amamus, quod sine legum injuria postulatur, maxime cum pro servanda civitate, nec illis sunt neganda beneficia justitia, qui adhuc in fide cognoscuntur errare. Atque ideo discant rerum bonarum suavissimum saporem. ut qui humanam justitiam nituntur querere, solliciti incipiant divina judicia cogitare. Proinde quam nonnullorum vos frequenter causam præsumptione laceratos, & que ad Synagogam vestram pertinent, perhibetis jura rescindi, opulabitur vobis mansuetudinis nostre postulata tuitio. Quatenus nullus ecclesiasticus, quæ Synagoga vestra jure competunt, violentiâ intercedente pervadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat. Sed ut religionis cultuum, ita & ætium sint conversione discreti: hæc tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos quod ad præfata Ecclesiæ jus, vel religiosas personas certò legibus pertinere constitit, inciviliter attrahere tentetis. Tricennalis autem humano generi patrona præscriptio, eo quod cunctis vobis jure servabitur: nec conventionalia vos irrationabiliter precipimus sustinere dispendia, ut hæc pietatis nostræ defensione muniti, petiit vestra ab illicitis se liberatam gratuletur incommodis. Concedimus quidem, clementie nostre consuetudine, quæ rogastis. Sed quid Iudæe supplicans temporalem quietem queris, si æternam requiem invenire non possis? Et lib. 4. epist. 43. quod constitutum est, ut ita blanditis, & beneficiis ad fidem nostram Catholicam all-

ciantur;

ciantur. Rectè ergo in præsentijuxta legitimas
sanctiones statuit Gregorius, Judæos veteres
Synagogas reficere posse, novas verò construere
non valere. In ipsarum autem refectiōne fideles
Catholici calcem, lapides, ligna vendere neque-
unt, ut docent Azor. *part. 1. lib. 8. instit. cap. 22.*
quæst. 5. Ricciulus *de jure person. lib. 2. cap. 39.*
num. 5. Licet enim Ecclesia sinat Judæos vete-
res Synagogas reficere; tamen Catholici hoc
faciendo peccant, quia non rectè sequitur: Judæi
possunt reficere Synagogas veteres. Ergo ad
hanc refectiōnem possunt cooperari Christiani. Nam
hoc dato sequeretur, quod omnia quæ toleran-
tur Judæis, possent fieri per Christianos, contra
textus disertos in *can. 63. Apost. ibi: Si clericus, vel*
laicus ingrediatur synagogam Iudaorum ad orandum,
deponatur, & excommunicetur. Et *can. 70. ibi: Ep-*
iscopus, Presbyter, Diaconus, Clericus jejuniis cum
Judæis, vel festis celebrans, vel xenia festorum ab eis
accipiens, ut azyma, vel aliud quid, deponatur, laicus
excommunicatur. Et *can. 71. ibi: Si Christianus o-*
leum deferat in templo Gentilium, vel in Synagoga
Iudaorum in eorum festis diebus, aut lucernas incen-
dat, excommunicatur. Synodus Laodic. *can. 29. 37.*
& 38. Non autè licet illis ampliores, & pretiosio-
res Synagogas facere, *c. consult. hoc tit.* Unde
conquerabatur Clemens IV. *epist. ad Episcopos Po-*
lome, ibi: *Synagogas Iudæi edificant plumbo rectas*
desuper intus diversis coloribus depingunt, in tantam
eas altitudinem producentes, ut earum respectu deco-
rem domus Domini perdidisse in Polonia videatur. A-
liquando tamen inspiratione divinâ fuisse à
Christianis dirutam Synagogam, legimus apud
Gregor. Turon. *lib. 5. cap. 11.*

fabat in agris, ideo permillum fuit templa in eis
posita diruere, *l. si qua 16. Cod. Theodos. eod. tit.*
refert Baronius *anno 201. num. 17. & 39.* Ali-
quando etiam templa ipsa destructis eorum aris
usibus publicis assignata fuerunt, *l. templorum 19.*
Cod. Theodos. eod. tit. quæ lata est anno 408. ubi
etiam detracta fuerunt annonæ, & redditus, ut
rem annonariam juvarent (sic legendum est, non
nubente,) ut præsentit Salmasius in *notis ad Vopis-*
cum in Aurelian. id est, ut redditus eorum publica
annonæ deservirent, *l. 4. Cod. de divers. prædiis, l.*
final. Cod. de fundo patrim. Nec obstat augmen-
tum difficultatis deductum ex dictis Conciliis
Tolet. & Narbonensi. Nam respondendum est,
quod licet Judæis permittatur Synagogas refice-
re, in eisque convenire, ad suos ritus peragendos,
solennitatesque celebrandas consuetas; tamen
novas instituere, aut antiquas reficere publicè in
opprobrium religionis Catholice, & scandalum
fidelium illis prohibetur, ut in *dict. can. 9. Concilii*
Narbon. ubi prohibetur, ne cum cantu deferant
Judæi cadavera defunctorum, quia illi noviter
cantum adhibere in suis funeribus intendebant:
ideo illis tantum permittitur cadavera juxta vete-
res ritus deferre. In dicto autem Concilio Tolet.
12. prohibentur caeremoniæ illæ Judæis jam bap-
tizatis, non verò illis existentibus in ipsa perfidia
Judæica: quod facile probatur, nam in eo referun-
tur leges Recesvinti Regis, quæ extant in *titul. 2.*
lib. 12. fori judic. & in earum prima expressè agi-
tur de Judæis baptizatis utentibus precisi caer-
emoniis: quam prohibitionem firmarunt PP. in
dicto Concil. Tolet. 2. can. 6. Nec obstat ultimum
augmentum deductum ex *dict. l. 1. s. final. de mor-*
tuo infer. nam longe aliud est facere, aliud verò re-
ficere, *l. 3. s. penult. ff. de itinere, actuque:* licet ver-
bum faciendi generaliter sumptum etiam refec-
tionem contineat: quo modo accipitur in edi-
cto de mortuo inferendo: quam doctrinam ad
proxim in pluribus casibus admittit Marinus *lib.*
2. resol. cap. 213.

Manet ergo Judæis simul cum Catholicis
commorantibus permitti Synagogas habere, cas-
que reficere, ac in eis caeremonias suas, & festi-
vitates celebrare, dummodo inde scandalum fi-
delibus non præstent, aut aliquid in opprobrium
Christianæ religionis intendant. Unde expo-
nendus est textus in *l. Iudæos, Cod. de Iudæis,*
qui extat in *l. 18. Cod. Theodos. eod. tit.* in hæc ver-
ba: *Iudæos quodam festivitati suæ solenni die Aman*
ad pœne quondam recordationem incendere, & sanctæ
crucis ad simulatam speciem in contemptum Christia-
næ fidei sacrilegâ mente exurere, provinciarum Re-
ctores prohibeant, ne locis suis fidei nostræ signum
immisceant, sed ritus suos infra contemptum Chri-
stianæ legis recineant, amissuri sine dubio permilla
hactenus, nisi ab illicitis temperaverint. Cum enim
Aman, Regis Artaxerxis, quem sacræ literæ
Assuerum appellant, Præfectus, decem millia
talentorum Regi pollicitus obtinisset, ut certo
die omnes Judæi occiderentur, Mardochai, &
Reginæ Esther operâ fraude detectâ, Aman in
ligno, cui Mardochæum affigere statuerat, sus-
pensus fuit; Judæique eadem die quamplures
ex hostibus interfecerunt, ut refertur Esther
cap. 3. & tradunt Josephus *lib. 11. antiquit. cap.*
6. Baronius *tom. 5. anno 408. fol. 276.* ob cuius
casus memoriam Judæi quotannis festum cele-
brabant, in quo effigiem Aman cruci affixam
incendebant, *xiv. vel vx. die mensis Adarii,*
qui

10.
Dignitate
tur ratio
dubitan-
di

Nec obstat dubitandi ratio suprâ adducta, nam
licet perduellium, & similibus reorum domus
diruantur, delubraque, & templa Gentilium, ta-
men Synagogæ Judæorum tolerantur ex variis
rationibus. Prima, quia dum intra eas Judæi
congregantur sine fidelium scandalo, licet pec-
cent in Deum, non agnoscendo fidem Catholi-
cam, non tamen peccant in ipsam religionem
Christianam, aut proximum. Secunda, nam tole-
rantur caeremoniæ Judæorum, non verò Paga-
norum; quia in ritibus Judæorum olim præfigu-
rabatur veritas fidei, quam tenemus: unde nobis
resultat, quod testimonium fidei nostræ habemus
ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur.
Ritus autem Paganorum nihil utilitatis affe-
runt: quare permitti non debent à Principibus
Catholicis: mala enim, seu peccata tolerantur,
vel propter aliquod bonum, quod ex illis prove-
nit, vel propter aliquod malum, quod evitatur;
docet D. Thomas *2. 2. quæst. 10. art. 11.* Quare
cum neutrum ex his proveniat templis Genti-
lium, ideo diruenda sunt, ut demoliri fecerunt
Imperatores Catholici variis constitutionibus,
quæ extant tam in Codice Theodosiano, quam
Justin *sub tit. de paganis:* & refertur Sozome-
nus *lib. 4. cap. 1.* Alcinius *lib. 1. pererg. cap. 13.*
Solorzanius *tom. 1. lib. 2. cap. 20.* ubi numer. *25.*
refert historiam textus in *l. 1. Cod. de paganis,*
Baronius *anno Domini 326.* Fictus in Theo-
log. *jurisd.* licet aliquando etiam à Principibus
Catholicis templa ipsa permilla legamus, ut in *l.*
1. Cod. Theodos. de fid. Cathol. saltem ut negotian-
di causâ, non verò sacrificandi, ibi conveniretur,
l. adem 8. Cod. Theodos. de paganis: aut ne illis di-
ruti aspectus urbium deformaretur, *l. sicut 15.*
l. 18. Cod. Theodos. de pagan. Quæ ratio quia cel-

11.
Exponitur
l. Iudæos,
C. de Iu-
dæis.

qui Februarii, & Martii respondet. Ut enim ista festivitas celebrior haberetur, crucis, cui aliquando affixus Aman fuerat, simulacrum exurre solebant, ac si de atrocissimo hoste penam sumerent. Ex variis refert Jacob. Gothof. in eodem textu, in Theodof. Sed cum post Christi passionem ab omnibus Catholicis cultu latriæ crux veneretur, cap. si canonici, §. final. de offic. ordin. lib. 6. l. decernimus, Cod. de Episc. & cleric. l. unic. Cod. nemini licere, l. final. §. sin. autem, Cod. de jure delib. Novel. 5. Iustim. cap. 1. & 15. cap. 1. & 125. cap. 32. plura Crespetius in summa verbo Crucis adoratio, Vazquez in 1. part. quæst. 25. art. 3. disput. 112. Bellarminus tom. 1. controv. lib. 2. de Eccles. cap. 17. 18. & 19. Azor part. 1. instit. lib. 9. cap. 6. Suarez advers. Reg. Angl. lib. 2. cap. 14. Pii Imperatores Honorius & Theodosius prohibuerunt, ne deinceps Judæi in Christianæ religionis contemptum crucem incenderent, aut ne sacro signo in suis jociis (ita legendum est, non locis,) uterentur; quia exinde opprobrium Christianæ religionis sequebatur. Præferunt Pancirol. lib. 2. var. cap. 179. Mornacius, & I. Gothofr. in eo textu, P. Burgi lib. 1. elect. cap. 15.

12.
Exponitur
Clement.
unic. hoc
tit.

Deinde ex hucusque traditis lucem accipit textus in Clement. unica hoc tit. ubi prohibetur Sarracenis simul & commixtim habitantibus cum Christianis, altâ voce clamare, ut convocentur in Mezchitam, illis verbis: *Legalip eli alla*: id est, non alius victor, nisi solus Deus: quæ verba & in suis scutis Sarraceni portant ad hoc

norem Mahometi profitendum, ut referunt Calcondyllas lib. 3. de reb. Turcicis, Pineda lib. 17. monarch. cap. 15. Lorca in catechesi, in vita Mahometi: & constat ex ipso Alcorano azora 4. 12. & 13. cum inde apud Christianos scandalum oriretur, & talis vociferatio in opprobrium Christianæ religionis cederet. Ideoque PP. Concilii Viennensis in dict. Clement. 1. similem cærimoniam Sarracenis prohibuerunt, etsi privatis, & in locis abditis similes ritus tolerentur, ut constat ex Beato Germano Patriarcha CP. epist. ad Thomam Episcopum Claudiopoleos, relata in Concilio Nicæno 2. action. 4. in illis verbis: *Sarracenis sufficit, quod in eremo lapidi inanimato sacrificia faciant, acclamentque hanc vocem, Chobar; quod a patribus acceptum per puerilia mysteria, & festa peragunt.* Pro cuius textus expositione sciendum est, Sarracenos lapidem, quem Bachtam vocant, magnâ veneratiōe colere; tum quia Abraham illic camelum alligasset, cum immolaturus esset Isaac: tum quia Veneris effigies in eo lapide sculpta erat, ut referunt Euthymius panoplia tit. 24. Joannes Filesc. lib. 1. select. cap. 13. fol. 209. Cui lapidi sacrificia offerebant in eremo, id est in deserto Pharam, ut exponens ea verba refert Zerda in advers. sacris, cap. 46. numer. 10.

Etiâ ex suprâ traditis exponi potest textus in can. 90. Concilii illiber. Cum adductis in ejus notis, & juncto Solorzano tom. 1. de jure ind. lib. 2. cap. 20. num. 90.

CAPVT IV.

Alexander III.

Quia super iis, unde ad nos in litteris tuis de Iudæis scripsisti, certum ^b canonem non habemus, f. t. significatione præsentium intimamus, quod Clero tuo in unum pariter convocato, generaliter tam nostrâ, quam tuâ auctoritate indicas, ut Iudæi ostia, vel fenestras in die Parasceves apertas non habeant, sed eas, per totum diem claudant. ^c Mancipia quoque Christiana nulla cum eis habitare permittas, sed generaliter cunctis edicas, ne aliquis Christianorum in eorum servitio audeat ^d commorari, ne fortè ex ipsorum conversatione ad Iudaismi perfidiam convertantur.

NOTÆ.

I. ^a Alexander.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. final. sed addendum est Massiliensi Episcopo, ut in dict. cap. de Iudæis, de decimis, ubi extat secunda pars hujus decretalis, ut jam ibi notavimus. Massilia est Galliæ Narbonensis urbs maritima, eademque antiquissima, & potentissima, & moribus cultissima, Phocensium colonia, ab illis condita Olympiadis 45. anno 3. ad quem annum sic notavit Eusebius in chron. Massilia civitas condita Galliæ. Ejus meminerunt Cæsar. lib. 2. de bello civili, Justinus lib. 43. Tul. in orat. pro Flacco. Herodot. lib. 5. Solin. cap. 8. quos referunt plura de Massilien. Repub. adducunt Aloix ad vitam S. Irenæi, cap. 4. Fratres Sarmat. tom. 3. Galliæ. fol. 639.

2. ^b Canonem.) Circa ostia, seu fenestras judæorum in die Parasceves claudendas; nam ut illi eo die usque ad Pascha non possent quasi insultationis causâ per forum, aut plateas ambu-

lare prohibitum fuerat can. 29. Concilii Aurel. 3. his verbis: *Iudæi à die cæna Domini usque in secundam Sabbathi in Pascha, hoc est ipso quadriduo, procedere inter Christianos, nec Catholicis populis se ullo loco, vel quacunque occasione miscere præsumant.* Ubi notavit Binius Matricon. can. 14. *Iudæi à cæna Domini usque ad primam diem post Pascha secundum edictum bonæ recordationis D. Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quasi insultationis causâ deambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam cunctis sacerdotibus Domini, vel clericis impendant: nec antè sacerdotis consensum, nisi ordinati habere præsumant: quod hoc facere fortasse præsumserit, à iudicibus locorum, pro ut persona fuerit, distringatur.* Meldens. can. 73. Childebertus Rex Francorum: *Iudæi à cæna Domini usque in primam Pascha per plateas, aut forum, quasi insultationis causâ deambulandi licentia denegetur.* Refert Aug. August. in epi. juris lib. 12. tit. 10. & postea firmavit Innoc. III. in Concil. Lateran. relato in cap. 15.

cap. 15. hoc tit. Cùm enim ut superiori commentario diximus, non possent Judæi commorantes permixtim cum Christianis, illis occasio- ne scandali nō præbere, debent cogi hīs diebus, in quibus passionis Domini, redemptionisque nostræ memoriā colitur, claudere ostia, & se cohibere ab omni insultatione, & etiam debent cogi domos, parietesque suas tapetibus ornare, ut

faciant Christiani, quando augusta, sacrosancta- que Eucharistia processionaliter deferretur per civitatem. Resolvit Tondut. lib. 1. variar. cap. 48. per totum.

c Mancipia quoque.) Hanc partem exposui supra in cap. 1. hoc tit.

d Commorari.) ut dicemus infra in cap. ad hæc.

CAPVT V.

Ex Concilio^a Lateran.

Iudæi, sive Sarraceni, neque sub alendorum suorum puerorum obtentu, neque pro servitio, vel alia qualibet causa Christiana e mancipia in domibus suis permittantur habere. Excommunicentur autem, qui cum eis præsumpserint habitare. d Testimonium quoque Christianorum adversus Iudæos in communibus causis, cùm illi adversus Christianos testibus suis utantur, recipiendum esse censemus, & anathemate decernimus feriendos, quicumque Iudæos Christianis voluerint in hac parte præferre, cùm eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foveri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se converterint Christianam, a e possessionibus suis nullatenus excludantur, cùm melioris conditionis conversos ad fidem esse oporteat, quàm antequam fidem susciperent, habebantur. Si autem secus fuerit factum, Principibus, seu Potestatibus eorundem locorum sub pœna excommunicationis iniungimus, ut portionem hereditatis, & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi.

NOTÆ.

a **L**ateran.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & reperitur textus hic in ipso Concilio Lateran. cap. 26. pro ut in præfenti transcribitur.

1. b **I**udæi sive Sarraceni.) Judæi dicti sunt à Juda, quarto Jacobi filio, & ab eis Palæstina Regio in Syria dicta fuit judæa, quia ibi habitantur. Josephus lib. 11. antiquit. cap. 5. Joannes Bohemus de nationibus mundi Roman. in Republica Hebræorum cap. 3. Dicti etiam fuerunt Israëlita, & Hebræi, ab Heber abnepote Sem, filio Noachi, ut probat Suidas verbo Hebræi, Tertul. in apolog. cap. 18. Hebræi retrò, qui nunc vocantur & Iudæi. Probat Firmianus lib. 4. instr. cap. 10. Tacitus lib. 2. 1. annal. P. Gregor. lib. 2. partit. tit. 5. cap. 1. Malvenda de Antichrist. lib. 11. cap. 3. Sarracenorum etymologias varias adduxerunt Sozomenus lib. 9. cap. 38. D. Hieron. in Esaiam, cap. 21. Socrates lib. 4. cap. 29. Eusebius lib. 6. cap. 6. Beyerlinch. tom. 7. verbo Sarraceni, Aldrete in origine lingue Latine, lib. 2. cap. 23. Petrus Gregor. ubi proximè, Covarr. lib. 4. variar. cap. 9. D. Hieronymus à Sara uxore Abraham ita dictos fuisse docet: quod & probat Alfonsus noster in l. 1. tit. 2. 5. part. 7. quam etymologiam etsi impugnet Scaliger in Eusebium, defendit tamen Cironius in præfenti. Alii Sarracenos dictos fuisse à Sarraca urbe Arabia, asserunt, ut referunt Paulus Emilius lib. 7. Franc. Histor. Faciunt Ptole-

meus lib. 6. Geograph. cap. 7. Marcellinus lib. 23. ibi: Et in Asia Albanos mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Sarracenos posteritas appellavit. Notavit Ufelsius ad Covar. d. cap. 9. Nunc autem nomina hæc religionis sunt, non gentis, & Judæi censentur quicumque veteris Testamenti soli cortici hærentes novum omnino rejiciunt: Sarraceni, qui utrumque ex parte saltem admittunt, sed cùm impio Mahometi Pseudopropheta Alcorano: sicut etiam Pagani communi nomine dicuntur, & Gentiles, seu Ethnici, alique, qui numina falsa colunt, in toto tit. c. de paganis. His adjunguntur Cœlicolæ in rubric. C. de Iudæis, & Cœlicolis. Et licet olim non alii fuissent Cœlicolæ, quàm Judæi, postmodum tamen Christianà religione florente Cœlicolæ à Judæis secreto fuisse suas det lex 12. C. de Iudæis: & notarunt de eis adducentes plura Joannes Filescus lib. 1. select. cap. 12. & Gothofr. in l. 19. C. Theodos. de Iudæis.

c Mancipia.) juxta tradita supra in cap. 1. d Testimonium.) Verba quæ sequuntur, extant in cap. Iudæi, de testibus.

e A possessionibus suis.) Immò magnopere fovendi, magnisque privilegiis decorandi sunt. Concil. Tolet. 16. can. 1. quod circa Indos noviter conversos, expressè statuerunt Paulus III. in sua bulla, & Magni nostræ Monarchæ suis legibus sanxerunt, quas refert Solorzanus tom. 1. de jure Ind. lib. 1. cap. 18. num. 40.

2.

CAPVT VI.

a Ex eodem.

Ita quorundam animos occupavit sæva cupiditas, ut qui gloriantur nomine Christiano, Sarracenis arma, ferrum & lignamina deferant galearum, & pates, aut etiam superiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Christianos ar-

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

N

ma

ma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam qui pro sua cupiditate in galeis & piraticis Sarracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab Ecclesiæ communione præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum per Principes Catholicos, & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capri fuerint, fore censemus. Præcipimus autem, ut per Ecclesias maritimarum urbium crebra, & solennis in eos excommunicatio proferatur.

NOTÆ.

- I. a **E**X eodem Lateranensi videlicet Concilio, ut habetur in primâ collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* & in ipso Concil. *cap. 24.* ex quo textum transcribo.

COMMENTARIUM.

2.
Conclusio
traditur
& probatur.

EX his duobus Concilii Lateran. canonibus talis deducitur assertio. Christiani deserentes ad Sarracenos arma, vel in ipsorum, navibus regimen exercentes, excommunicantur, rebusque propriis privantur, ac capientium servi fiunt. Probant eam textus in *cap. significavit* 11. *cap. quod olim, cap. ad liberam*, 17. *dist. Innoc. III. lib. 1. epist. in edit. Colonia*, fol. 258. ibi: Illud etiam Lateran. Concilii constitutum curavimus innovare, quod eos, qui Sarracenis arma, ferrum, signamina galearum ministrare præsumserint, & in galeis, & piraticis eorum navibus curam gubernatoris, & regimen exercere, ab Ecclesiâ communione præcidi, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, rerum suarum per Principes seculi Catholicos, & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capri fuerint, fore decernit. Extravag. *ita quorundam, hoc tit. Extravag. multa*, eod. Nicolaus in bulla edita anno 1450. quæ est quarta hujus Pontificis in Bullario Gregor. IX. *epist. 9.* Innovamus præterea excommunicationis sententiam in Lateranensi Concilio promulgatam adversus eos, qui Sarracenis arma, ferrum, & signamina deserunt galearum. Julius II. in sua constitutione 25. quæ extat *tom. 1. Bullarii*, Paulus III. in sua constitutione edita anno 1530. quæ est 10. ipsius Pontificis in Bullario. Paulus V. in sua constitutione 63. quæ extat *tom. 3. Bullarii Gregorius XIII.* in constitutione, quam refert Navarrus in præfenti, Martinus V. in bulla Cœnæ Domini, *cap. 7. Consonat lex 4. tit. 21. part. 4.* Illustrant ultra congestos in præfenti à Barbosa, Scortia in *select. constit. Pontif. theorem. 102. 103.* & 146. Leo Duardus in *comment. ad Bull. Cœnæ*, lib. 2. *cap. 7. Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. Fragoso de regim. Christ. Reipub. tom. 2. lib. 1. disput. 3. §. 7. numer. 148. Borellus de præstantia Regis cap. 9. ex num. 48. Solorzanus lib. 2. tom. 1. cap. final. num. 70. Hermosilla in l. 12. titul. 5. part. 3. Molina de justit. disput. 343. Salcedo in tract. de contrabando, cap. 3. Ant. August. in epit. lib. 12. tit. 21. Gutierrez lib. 1. de delict. cap. 27. & 28. Petrus Gregor. lib. 4. partit. titul. 16. cap. 5. Solorzanus lib. 2. de jure Indiar. cap. 25. Gibalinus de censur. disquisit. §. quest. 5. consecratar. 11. & in synopsi verbo Arma: & de negotiatione lib. 1. cap. 7. art. 1. Cujac. ad tit. C. quæ res exportari. Valenzuela *tom. 1. consil. 39. F. Raphaël de la Torre in 2. tom. 3. quest. 51. Cabedo 2. part. decis. 62. & 150. Petrus Abaunza in repetit. ad tit. de sagittariis num. final. Phil. Cammerar. cent. 1. borarum successiv. cap. 89.**

Sed pro dubitandi ratione ita in præfentem assertionem insurgo. Contractus præcipue emptionis, & venditionis, juris naturalis secundarii (quod alii jus gentium appellant) sunt *l. ex hoc jure, ff. de just. & jure*, ubi Orosius & Benedictus Agidius §. *ius autem, Instit. de jure naturali.* Probant latè Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 1. num. 4.* Mozius de *contract. tit. de orig. contractuum*, Befoldus in *dissert. de jure & divf. rer. cap. 4. per totum*, Petrus Gregor. *lib. 4. de republic. cap. 7. Scaccia de commerc. quest. 1. §. 1. per totum.* Igitur Ecclesiâ non potuit prohibere venditionem armorum, & cæterarum mercium, de quibus in præfenti, Sarracenis, seu Infidelibus; neque transitus, aut navigatio contra societates humanæ, & Christianæ charitatis regulas prohiberi debet, *l. libertus, ff. de oper. libert. l. 7. ff. d. servis export. l. in creditores, ff. de evict. l. 2. §. item Varus, ff. de aqua pluvia, Cancr. 3. var. cap. 13. Grotius de jure belli lib. 2. cap. 3. num. 12.* Accedit utilitas commerciorum, præcipue cum exteris nationibus, & cum gentibus finitimis, quam probant, & valde commendant Plato *lib. 1. de republic.* Petrus Gregor. *eod. tract. lib. 1. cap. 2. & 3. Bodinus eod. tract. lib. 1. cap. 6.* Igitur non rectè in præfenti commercii usus interdicitur cum Infidelibus & Sarracenis. Etiam difficilis est præfens constitutio in pœna, quam imponit Christianis fuscipientibus regimen navium, videlicet ut capientium servi fiant; nam libertas juris naturalis est, *l. jumma 3. ff. de stat. hominum §. 1. Instit. de libertin.* ubi plura Instit. Conanus *lib. 2. comment. capit. 2.* Ergo lege positiva contra jus naturale servitus constitui non potest.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, cujus ratio ex eo provenit, nam certum est, posse Principè justis ex causis prohibere subditis propriis, & vassallis, ne cum mercatoribus exteris commercium exercent, *l. D. ff. de servit. rustic. præd. l. sicut, §. aristo. ff. si servitus vindicetur, l. hæres, ff. de usur. l. sed si populi. 11. §. item si cum plures, ff. de institor. act. ibi: Nam & certam personam possumus prohibere contrahere, vel certum genus hominum, vel negotiatorum, & certis hominibus permittere, & similiter certas res ad exteris nationes deferre, præcipue cum quibus bellum geritur. Et *l. cotem ferro, ff. de publican. l. 2. & per totum, C. de nautico favore, l. rem, C. de litoribus, lib. 11. l. penult. C. de contrahend. emp. l. 1. C. non lic. habit. Metroc. lib. 11. l. 1. C. quæ res export. latè probant Rodericus Suarez allegat. 18. Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 5. & lib. 4. per totum, Gutierrez prædicar. 99. lib. 4. quest. 37. usque ad 46. Giurba consil. 10. à numer. 15. Valenzuela consil. 39. & 52. Cancrinius rom. 3. variar. capit. 13. numer. 255. Salcedo de contrabando, capit. 3. Thomas Delbene de Parliamentis, capit. 2. section. 30.* Ratio est, ne arma promptius in nos convertant, ut observant Cujac. & Gothofredus in *d. l. 1. C.***

qua

que res, Alciatus lib. 1. disput. cap. 11. Ripa de peste, tit. de remediis ad convent. Alia ratio additur in l. Mercator 4. C. de commerc. & mercat. ne alieni Regni, quod non convenit, scrutentur arcana. Facit lex 2. C. quando & quibus quarta pars. Facit edictum Theodorici apud Cassiodorum lib. 2. var. cap. 12. ibi: Si desideris nostris commercia peregrina famulantur, si pro lato auro acquirunt eterna devotio, quanto magis suis bonis abundare debet Italia, cum nulla in parendo probeatur sentire detrimenta. Et ideo Lariis species nullatenus jubemus ad peregrina transmitti, sed in usus nostros propitia divinitate servetur, ne quod in nostris partibus conficitur, noxiâ diligentia deesse videatur. Quod præcipue procedit cum merces deferuntur ad hostes, & barbaras gentes, l. 2. C. que res exportari, juxta quam distinctionem accipiendus est textus in l. allegatis 8. C. de vectigal. & commiss. sæpe enim transfugæ usum armorum, artemque fabricandi ea transtulerunt ad Barbaros maximo cum suorum detrimento. Exemplum extat apud Herodianum lib. 3. Quare eos, qui naves conficere barbaros docuerunt, capitali supplicio punitos legimus in l. his qui, C. de pœnis; & eodem jure illud cautum est, ut cuiuscumque operâ & dolo malo hostes nostri commatu, armis, telis, equis, pecuniâ, aliâve qualibet re adjuti fuerint, tanquam læsæ Majestatis reos puniendos esse, l. 4. ff. ad leg. Jul. majest. adde legem 3. C. de servis fugit. & Cassiodorum lib. 2. var. cap. 12. notarunt & illustrant Stenbechius ad Vegetium lib. 4. de re milit. cap. 8. Petrus Faber lib. 1. semestr. cap. 16. Solorzani lib. 2. de jure Indiar. cap. 15. Lipsius ad Tacitum lib. 2. annotat. 66. Salmasius in notis ad Vopiscum. fol. 388. Mercurialis lib. 1. variar. cap. 24. & lib. 6. cap. 26. quæ omnia si justè statuta sunt, & procedunt in deferentibus merces ad hostes, exterarumque nationes, quanta majori cum ratione observari debent in deferentibus arma, & similia ad Sarracenos, Turcas, Hæreticos, aliosque Christianæ religionis hostes. Quare tot Ecclesiæ constitutionibus sub gravissimis pœnis, & censuris id prohibitum fuit, circa quas varios casus examinant, & exponunt Duardus, Fragofo & alii scriptores in Bullam Cœnæ Domini, Scortia, & Gibalinus ubi supra. Illud omnittendum non est, Inquisitores hæreticæ pravitatis in

Hispania procedere contra deferentes arma, vel equos ad infideles. Cantera qq. crimin. cap. 1. num. 68. Diana part. 4. tit. 7. resol. 19. & in Inquisitionibus Aragoniæ etiam proceditur in exportantes equos in Galliam Bobadilla tom. 1. po. lit. c. 14. n. 5. Carena de offic. Inquisit. 2. p. c. 17. §. 20.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet contractus emptionis, & venditionis juris gentium sit, & ideo Principes absolutè subditis illum prohibere non possint, tamè respectu aliquarum personarum, seu rerum ex justis causis simile commercium interdicerè valent, quia talis prohibitio nititur potentiori, naturalique ratione; nam ut inquit Alb. Gent. lib. 1. de jure belli, cap. 21. jus commerciorum æquum est; at æquius tuendæ salutis est. Illud gentium jus, hoc naturæ est. Illud privatorum est, hoc regnorum. Cedat igitur regno mercatura, homo naturæ, pecunia vitæ, ut profequitur Ar. niseus lib. 1. de repub. cap. 3. sect. 3. Unde ex ratione proximè adducta potuit Ecclesia prohibere Catholicis venditionem armorum, & similia rerum cum Sarracenis, & infidelibus. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam licet libertas juris naturalis sit, tamen aliâ potentiori naturali ratione plerumque servitus admittitur contra ipsum jus naturæ, ut probavi in cap. final. de servis non ordin. & inter eos enumeratur casus, cum quis in pœnam delicti admissi libertatē amittit, servusque fit, veluti jure civili, si homo liber ad pretium participandum sese venundari passus sit, & jure canonico filii à clericis procreati ex concubinis servi nascuntur, ut probavimus in cap. 1. de filiis presby. Unde rectè, pièque in præsentī casu, cum pœna capitis jure civili statuta esset in eos, qui arma & merces prohibitas ad hostes exportarunt, l. cotem, ff. de publican. l. final. C. quarum rerum, l. 2. & 4. C. de commercis, l. nemo, C. que res exportari. Novel. 63. Leonis, l. 22. tit. 5. part. 5. Cujac. in dict. l. cotem, & ad tit. Cod. que res exportari, Alb. Gentil. de advocat. Hisp. lib. 1. cap. 20. Bobadilla lib. 4. polit. cap. 5. Ecclesia potuit imponere servitutis pœnam deferentibus arma ad Sarracenos, aut in eorum navibus regimē accipientibus.

CAPVT VII.

Alexander III.

Consuluit, & c. Iudæos etiam de novo construere synagogas, ubi eas non habuerunt, pati non debes; verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut reædificent, poteris æquanimitè tolerare, non autem ut eas exalcent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quàm antea fuisse noscuntur; qui utique pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis, & suis observantiis tolerantur.

NOTÆ.

^a Alexander III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titul. cap. 1. &

in cap. consuluit 29. de appellat. ubi extat alia pars hujus textus, ut ibi notavi, & commentarium dedi supra in cap. 1.

CAPVT VIII.

Alexander III.

Ad hoc præsentium auctoritate mandamus, atque præcipimus, quatenus omnibus Christianis, qui sunt in jurisdictione vestra, penitus interdicitis, & si accesserit, eos ecclesiastica distictione compellatis, ne ipsi Iudæorum servitio

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

N 2

assidue

assiduè pro aliquâ mercede se exponant: quod etiam obstetricibus, & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes Iudeorum in ^b domibus eorum nutrirî præsumant, quoniam Iudeorum mores, & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.

NOTÆ.

^a **A**lex. III.) Itactiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. ubi additur, pars capituli Licet. Unde cognoscitur, in præfenti referri partem textus in cap. licet 23. de testibus: & integra decretalis extat post Concil. Later. sub Alex. III. part. 20. cap. 2.

^{i.} **b** Domibus.) Unde dubitari solet, an saltem extra domum possint. Judæi habere Christianas nutrices pro ablaclandis filiis propriis. Et negativam sententiam tenent in præfenti Joan. Andreas Butrius in fine, Anania num. 5. Felinus n. 3. & alii, quos referunt & sequuntur Azor. tom. 1. instr. lib. 8. cap. 22. quest. 9. Sanchez lib. 2. summa, cap. 31. num. 19. Ricciulus lib. 2. de jure person. cap. 28. num. 17. quæ sententia verior est, etsi contrariam teneant Glossa in præfenti, Cardinalis, vers. Oppono, Socinus num. 4. Abbas num. 2. nam cum præfens prohibitio ea nitatur ratione, videlicet, ut communio Judæi cum Christiana vitetur, & hæc ratio æquè militet cum filii Judæorum à nutricibus Christianis, etiam extra domum ablaclantur, idem jus statuendum est, argumento legis illud, ff. ad leg. Aquil.

COMMENTARIUM.

^{2.} **C**um omnis communio etiam politica Christianis cum Judæis prohibita sit, cap. omnis 14. 28. quest. 1. cap. sepe 22. 8. quest. 1. Concil. Il. liber. can. 50. Si clericus, vel fidelis cum Iudæis cibum sumperit, à communione abstineat, ut emendetur. Epau. can. 15. Iudeorum convivii etiam laicos constitutio nostra prohibuit, & ne cum illo clericus panem comedat, quisquis in Iudeorum fuerit convivio inquinatus. Venericum can. 12. Agathense can. 40. Aurel. 3. can. 13. Christianis convivium interdicitur Iudeorum, in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subiacent. Matifcon. can. 15. Nullus Christianus Iudeorum convivii participare præsumat. Quod si

facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut secularis præsumperit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compefcendum. Meldense can. 73. Metense can. 4. Nemo Christianorum cum Iudæis manducet, & bibat, vel quidquid comedit, aut potari potest, à Iudæis accipiat. Palentinum anno 1322. can. 21. Illustravi in dict. can. 50. Concil. Il. liber. I. deo sæpe cautum legitur, ne Christianus in famulatu, aut servitio Judæi sit, etiam ut nutrix filiorum ejus, cap. Iudæi, cap. etsi Iudeos, hoc tit. cap. unic. hoc tit. in 5. compil. ubi Honorius III. universis Episcopis Ungaria: ita scribit: Nefas est, ut sacri baptismatis unda renatus in fidelium ritu, vel conversatione fœderetur, aut religio Christiana subjæta infidelibus polluat. Similiter ob vitandam ipsam communionem in can. 10. Concil. Trul. Episcopi Orientales dîferè vetant, ne quis, vel clericus, vel laicus, si in morbum incidit, Judæum medicum quemcumque arceffat, aut pharmacum ab eo accipiat, alioquin clericus deponatur, laicus verò excommunicetur. Quod idem in Occidente cavet Gregorius XIII. in Bulla relata à Filefaco lib. 1. select. cap. 12. Illustrant ultra congestos à Barbola in præfenti, & à Cenedo in collect. ad Decretum, collect. 15. Majolus dier. canicul. tit. de perfidia Iudeor. fol. 656. Sanchez in præcept. Decalog. lib. 2. cap. 31. P. Suarez de fide disput. 18. sect. 6. Azor part. 1. instr. lib. 8. cap. 22. Didacus Perez in l. 4. tit. 3. lib. 8. Ordin. Ricciulus lib. 2. de jure person. cap. 28. num. 11. & etiam novo jure repetita est præfens prohibitio constitutionibus Pauli, quæ incipit: Cum nimis, §. 4. Gregor. XIII. constit. 70. quæ incipit, Antiqua Iudeorum: ubi etiam statuitur, ut eo casu possint Judæi puniri ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis. Nec ad hoc possunt habitari à Principe seculari, cap. consuluit 3. de appellat. nec etiam ab Episcopis, cum hæc prohibitio sit Concilii generalis, in qua Episcopus dispensare non valet, ut resolvit Ricciulus dict. cap. 28. num. 284.

CAPVT IX.

^a Clemens III.

Sicut Iudæi non debent sine licentia in ^b synagogis, ultra quàm lege ^c permisum est, præsumere, ita in iis quæ eis concessa sunt, nullum debent præjudicium sustinere. Statuimus enim, ut nullus Christianus invito, vel nolentes ad baptismum eos venire compellat. Si quis autem ad Christianos causâ fidei confugerit, postquàm voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumnia ^d efficiatur: quippe Christiani fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invito cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus eorum quemlibet sine judicio terrenæ potestatis, vel vulnerare, vel occidere, vel suas illis pecunias ^e auferre præsumat, aut bonas, quas hæctenus habuerunt consuetudines immutare: præfertim in festivitatum suarum ^f celebratione, quisquâ fustibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet; neque aliquis ab eis coacta servitia exigat, nisi cui ipsi præterito tempore facere consueverunt. Ad hæc malorum hominum pravitate, & avaritiæ obviantes, decernimus, ut nemo cœmeterium Iudeorum mutilare, aut invadere audeat, sive obtentu ^g pecuniæ corpora humana effodere. Si quis autem hujusmodi

hujusmodi tenore decreti cognitio (quod absit,) contraire præsumpserit, honoris, & officii sui periculum patiarur, aut excommunicatione plectatur, nisi præsumptionem suam dignâ satisfactione correxerit.

NOTÆ.

- a** Clemens III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titulo. cap. 3. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex. Eam constitutionem per eadem verba innovavit, Innocentius III. lib. 2. epist. final. apud Sirletum, fol. 434. ibi: Sicut ergo Judæis non debet esse licentia in synagogis suis, ultra quàm permissum est lege, presumere, ita in his, quæ sunt illis concessa, nullam debent præjudicium sustinere. Nos ergo licet in sua magis velint duritia perdurare, quam varietiam Prophetarum, & legis arcana cognoscere; atque ad Christianæ fidei notitiam pervenire: quia tamen nostra postulant defensionis auxilium, & Christiana pietatis mansuetudinem, prædecessorum nostrorum felicitis memorie Calixti, Eugeni, Alexandri, Clementis, & Celestini Rom. Pontificum exemplis inhaerentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostra clypeum indulgemus. Statuimus ergo, ut nullus Christianus inuitos, vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat, sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causâ confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, sine qualibet espiciatur calumnia Christianus.
- b** Synagogis. De quibus egi supra in cap. 3.
- c** Lege. Videlicet l. final. C. de Judæis.
- d** Efficiatur. Post catechesim, & instructionem in Mysteriis fidei. De tempore, & forma catechesis primis Ecclesiæ sæculis in Ecclesia usitatis plura adduxi in can. 4. & alius Concil. Illiber.
- e** Pecunias auferre. Consonat textus in cap. dispar. 23. quæst. 8. cap. infideles, 24. quæst. 4. Alex. III. post Concil. Later. part. 20. cap. 1. l. nullus 14. C. hoc titulo. quia earum, & ceterorum bonorum etiam inter fideles constitentium verum dominium Judæi habent, cap. Iudæi, el. 2. cap. multorum, hoc titulo. cap. de terris, de decimis, cap. quando, de usuris. Probat Riccius lib. 2. de jure person. cap. 50. etsi contrarium innuatur in l. final. s. 3. C. de pagan. Unde Judæis, aut Gentilibus non potest bellum indici à Principibus Christianis eo prætextu, scilicet quod Judæi, aut infideles sunt, nisi provincias retineant Christianorum, quæ aliquando Catholicorum fuerunt. D. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 8. Vel quando ipsi Christianos offendunt, dict. cap. dispar. Vel si blasphemis, oppropriisque Catholicam Religionem infamare intendant, aut fidei propagationem impediunt, ut latè docent Covar. in regul. peccatum, 2. part. s. 10. de R. I. Martha de jurisdict. part. 1. cap. 24. Grotius de jure belli, lib. 2. cap. 20. Gentil. eod. tract. cap. 9. Solorzanus tom. 1. de jure Ind. lib. 2. cap. 16. & 17. Vtrum autem Judæi, vel Infideles Principibus Christianis subjecti, ab eorum regnis possint expelli, si baptizari renuant, non levis difficultas est, quam latè disputant Borel. de præf. Reg. Cathol. cap. 69. per tot. Cenedus ad Decret. collect. 15. num. 2. Tiberius Decian. lib. 5. tract. crim. cap. 12. Majolus dier. canonicul. tract. de perfid. Iudæor. Riccius de jure person. cap. 51. Solorzanus dict. lib. 2. cap. 18. num. 52. Inter quos ea communiter sententia placuit, videlicet Judæos quietè, & pacificè inter Christianos degentes tolerari debere, ut D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

voluntariè ad fidem perducantur, ex præsentitextu, & aliis proximè citatis. Si verò ipsi Judæi protervia suâ in Christianos aliquid moliti fuerint, aut pravo exemplo, aut superstitiosis ritibus Christianum populum turbare, aut sedare intendant, tunc etiam per Principes Catholicos expelluntur, ac bonis exspoliantur, si baptizari renuant, ut integris tractatibus probant F. Jacobus Bledain defensione fidei pro expulsionem Maurorum, tract. 2. cap. 1. s. 2. & in hist. Maurorum lib. 1. cap. 12. Gabilan. in lib. contra Iudæos: & ita expulsos eos fuisse per Sisebutum Gothorum Regem, retulimus in cap. majores, de Baptismo: & tandem expulsionem factam per Catholicos Reges Ferdinandum, & Elisabeth, promulgatam in l. 2. 3. & 4. tit. 2. lib. 8. Recopil. commendat, & debitis extollunt laudibus Navarrete in discurs. polit. cap. 7. Simancas de Catholicis tit. 35. num. 5. Illescas in hist. Pontif. 2. part. lib. 6. cap. 20. s. 1. Valdes de dignit. Reg. Hispan. cap. 19. num. 68. Madera in Monarch. Hispan. cap. 6. F. Joannes à Ponte in convent. utriusque Monarch. lib. 1. cap. 8. Aldrete in antiquit. Hisp. lib. 3. cap. 28. Borel, Majolus, & Solorzanus supra laudati. Immo nullum Judæum, seu infidelem in suis Regnis permissuros Reges Gothorum in ipsis Regni auspiciis juramento promittebant, juxta canonem 3. Concilii Tolet. 6. ubi ita cautum legitur: In spiramine summi Dei Excellentissimus, & Christianissimus Princeps ardore fidei inflammatus, cum regni sui sacerdotibus prævaricationes, & superstitiones Iudæorum eradicare voluit, nec finit degere in regno suo cum, qui non sit Catholicus; & ut quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit, apicem non antea ascendat regiam sedem, quam intra reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum in regno suo permissurum. Prosequuntur Solorzanus ubi supra, Fragoso de Regim. Christ. Reip. pa. t. 1. lib. 1. disp. 2. s. 7.

f Celebratione. Juxta tradita supra in cap. quia, hoc titulo.

g Pecunia in ipsis sepulchris deposita. Nam moris fuit apud Judæos, pecuniam, magnamque auri quantitatem, & thesauros in sepulchris ipsis cum defunctis condere; ob quam præcipuè causâ Chaldaei ossa Regi Juda, ac Principum, nec non sacerdotum, ceterorumque urbis Hierosolymitanæ civitè in sepulchris effoderunt, ut longè antea Hieremias prænuñciaverat cap. 8. & jam adimpletum Baruc flevit cap. 2. ad eruendos nimium aviditate maximâ, diripiendosque thesauros quos in antiquorum sepulchris munificè recondi manu conductos experti erant, ut in dict. c. 8. Hieremias exponit D. Hieronymus, & de sepulchris David refert Josephus, lib. 1. antiquit. cap. ultim. quod cum Hircanus Pontifex ab Antiocho acriter oppugnaretur, opportuno usus consilio, ut eum ab urbis obsidione averteret, & necessitati prospiceret, referat ipsius Davidis monumento tria talentorum millia inde detulit, quorum partem Antiocho persolvit, ut scribunt Pineda lib. 4. de rebus Salomon. cap. 1. in fine, Villalpando tom. 2. in Ezechiel. dispnt. 14. cap. 61. Alter Pineda in sua Monarchia, p. 2. lib. 10. c. 10. s. 3. & de sepulchro Regina Semiramis spoliato à Dario agit Cælius Rhodig. in l. 23. antiquar. lect. c. 5. Etiam

tam apud Græcos, quam apud Romanos moris fuit, ut pecunia, ac multa divitiarum inferrentur in sepulchra cum mortuis, ut constat *ex l. servo 113. §. ultimo, ff. de legat. 1. l. final. §. final. ff. de auro & argento: notantur Lipsius ad Tacitum l. 3. annotat. 102. Marquez lib. 2. sui Gubernatoris, cap. ult. pag. 387. Gothofredus ad leg. 12. Tabulæ de jure sacro tit. de religiosis, Ant. Clarus Silvius lib. singul. ad leg. regias. cap. 23. pag. 521. Ioannes Kirmanus de funer. lib. 1. cap. 10. & lib. 3. cap. 24. Gutherus lib. 7. de jure manuum, cap. 23. Lælius Giralduus lib. de var. sepel. rit. sub medium, Bulenger. lib. 3. de Imperat. cap. 6. alii relati è Solorzano tom. 2. lib. 5. de jure Indiar. cap. unic. num. 49. Hinc Petrus Diaconus in tract. quem de litterarum Romanarum notis inscripsit, has in sepulchris antiquis inscribi solitas refert, I. M. I. S. T. B. A. B. S. C. id est in monumento isto sunt bona abscondita: & istas, I. N. H. C. M. M. S. P. S. N. F. N. id est, in hoc monumento sunt pecuniæ sine fine: & etiam eas, I. N. T. S. B. E. intus sunt bonæ ciuis. I. N. H. C. M. M. S. P. S. in hoc monumento sunt pecuniæ sacræ; et si de earum notarum versione dubitet Forner. lib. 3. rer. quotid. cap. 3. quod variis rationibus usitatum fuit. Prima ob superstitionem veterum, qui putantes mortuos ad æternam vitam degendam multis indigere divitiis, illas in sepulchra inferebant, de qua superstitione ultra proximè relatos multa congerunt Cerda ad Virgil. lib. 1. Aeneid. versu 363. Forner, ad Casiodor. lib. 6. epist. 8. Solorzanus dict. cap. unic. num. 38. & in polit. lib. 6. cap. 5. pag. 954. ubi notat apud Indos Pervanos eodem nomine designari sepulchrum, & thesaurum, hoc videlicet, *guaza*; quia vix erant sepulchra Indorum, in quibus non invenirentur thesauri. Aliam rationem forsitan minus frequentem adduxit Leo Imperator in Novel. 15. juxta editionem Gothofredi, nempe quosdam adeo avaros esse, & hominum posterorum oculos, ut illis divitias invidentes, quas secum ferre non possunt, subtrahant illas oculis, & usibus humanis. Item hoc faciebant tum ut sepultura honorificentior esset, tum ut religio tutius eam servaret, ut referunt Strabo lib. 15. Quint. Curtius lib. 10. Plautus in Pseudolo act. 1. scena 4.*

Ex hoc sepulchro veteri viginti minas

Effodiam ego hodie, quas dem Herili filio.

Postea mandatu Principum, seu lege decem virali ut probat Ramirez de Prado in thesauri legum, in l. 4. §. final. ad leg. iul. pecul. prohibitum est cum defunctis sepelire pecuniam, d. l. 4. §. final. immò nec vestes pretiosas, nec alia ornamenta cum corpore condere licuit: quod simpliciores homines fecisse dicitur in l. sed si quis 14. §. non autem. ff. de relig. l. servo 113. §. 1. ff. de legat. 1. §. final. §. mulier. ff. de auro & argento. Sed quia adhuc neglecta est prohibitiō pecuniarum plerumque reponeretur in sepulchris, prohibet Clemens III. in presenti, ejus occasione sepulchra reservare, Iudæorumque cineres effodere. Quare Cassiodor. lib. 4. var. epist. 18. merito damnat Laurentii cuiusdam presbyteri scelus, quod effossis cineribus funestas divitias inter hominum cadavera perscrutatus esset. Et apud Quintil. de clamor 369 sepulchri violati reus ita excipit: Sed quid sustuli? Aequius tamen est licere pecunias in monumentis obrusas impune perscrutari. Pessimi fures illi appellantur à Sidonio: & in eos extat edictum apud Cassiodor. lib. 4. var. capite. 34. atrocitatemque hujus criminis exagitant Pelusota

lib. 2. epist. 146. D. Chrysof. homil. 38. in 1. ad Corinth. Nyfienus in epist. can. cap. 7. Profecuntur alia Ant. Bozium Rom. Subterr. lib. 1. cap. 27. Chokier in fac. histor. cent. 2. cap. 77 Theophilus tom. 15. in heterocl. punct. 9. sect. 1. Spondan. de cemet. part. 1. lib. 1. cap. 9. Savar. ad Sidon. lib. 3. epist. 12. Irazzo de protest. fol. 26.

Vnde exponendus venit textus in l. 4. §. non fit locus, ff. ad leg. iul. pecul. quem breviter exponam, quia variis difficultatibus solet obrui. Verba priora textus sunt: Non fit locus religiosus ubi thesaurus invenitur. Quarunt DD. quæ possit esse ratio dubitandi hujus decisionis, quæ omni prorsus dubio videtur carere. Et omittis variis DD. subtilitatibus credo rationem dubitandi ex eo descendere, quod divitiæ in terra absconditæ solebant Cereri, Plutoni, & aliis inferorum falsis numinibus consecrari, ut breviter notavit Ant. Clarus Silvius ad leges regias capite. 23. pag. 123. & probatur hic mos ex quadam veteri inscriptione, quam refert D. Ioseph. de Retes lib. 8. opuscul. capite. 27. ibi: Plutonis sacrum munus ne attingite fures. Et ex quodam veteri Anonymo Poëta relato à Kirmano dict. lib. 3. cap. 24. in hæc verba.

Res ea sacra miser, noli mea tangere sata,
Sacrilegæ bustis abstinete manus.

Testatur etiam Livius lib. 2. cap. 31. ex partitione Iani Gruterii, Patrem Spurius Cassij, ob affectatam tyrannidem à filio, eum causâ domi cognitâ verberasse, ac necasse, peculiumque filii Cereri consecravisse: signum inde factum esse, & inscriptum, Ex Cassia familia datum. Cum verò divitiæ sub terra conditæ solent commendari, & consecrari falsis numinibus inferorum, & quod sacrum est, religiosum etiam appelletur, ut testatur Aelius Gallus Vetus IC. apud Festum verbo Religiosus, potuit in dubium venire, utrum locus, in quo conditus est thesaurus, religiosus sit propter contactum thesauri, qui forsitan sacratu potuit esse Cereri, Diti, Plutoni, Proserpinæ, aut aliis numinibus infernalibus, ut Gentiles falso sentiebant. Nihilominus Marcianus negat, fieri locum religiosum ubi thesaurus invenitur, quamvis inventor ibi vota solverit pro invento thesauro. Quod facere consuevit inventores, probat vetus inscriptio apud Galbanum de usufruct. capite. 30. numer. 4. in sine, quæ talis est: Iovi inventori, Diti patri, Terra matri, detectis Dacia thesauris, Caesar Nerva Trajanus Augustus sacrum posuit. Ratio decidendi potuit esse, quia non semper thesauri consecrabantur numinibus: & quamvis consecrati fuissent, sacri non fiebant, quia privata consecratio non efficit rem sacram, sed publica ritè & per Pontifices fit, l. in tantum 6. §. sacra, l. sacra 9. in princip. cum §§. sequent. ff. de rerum divisione notantur Doncl. & Ostwaldus lib. 4. cap. 1. Cum ergo consecratio thesauri fieret à privato abscondente, consequens est, quod nec thesaurus, nec locus manerent consecrati. Confirmat prædictam decisionem Marcianus in dict. §. 6. per ampliationem his verbis: Nam etsi in monumento inventus fuerit thesaurus, non quasi religiosus solitur. In primis applicanda est decisio titulo, sub quo jacet: titulus est de peculatu, cuius lege puniuntur, qui pecuniam publicam, sacram, religiosamve auferunt aut interceptiunt, l. 1. in princip. ff. eod. Ant. Mathæus

ad eandem titulum. Quæstio itaque est, an in hoc crimen incidat, qui de sepulchro, id est de loco religioso tollit pecuniam? Negat Marcianus, quia thesaurus de sepulchro sublati non tollitur tanquam religiosus, sed tanquam privatus, prophanusque: igitur si furtum est, non erit saltem furtum rei religiosæ, sive peculatus. Argumentum verò concludit à fortioribus terminis, ita: Thesaurus in loco verè religioso repertus non est religiosus: ergo multò minus efficiet locum purum religiosum thesaurus ipse, cui nulla religio inest. Potest etiam quæri ad hanc postremam partem ratio dubitandi, quæ à nostris jam excogitata est, & adducta, ex *l. que religiosi* 43. ff. de rei vindic. ubi docemur, religiosa esse, quæ adhaerent religiosi: sed thesaurus adhaeret sepulchro: ergo religiosus est. Decidendi verò ratio est prompta; illa enim censetur adhaerere sepulchro, quæ necessariò illi adjacent, & separari ab eo non possunt sine detrimento integritatis, aut religionis, *l. de sepulchro violat.* quàm partem egregè illustravit Suarez *ad legem Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 6. & 7.* thesaurus verò in sepulchro est per accidens, nec pertinet ad integritatem, aut religionem: igitur non potest dici adhaerere loco religioso. Ita exponunt Ant. Clarus & Silvius *ad leges regias d. cap. 23.* Galbanus *de usufruct. cap. 30. num. 4. in fine.* Præbuit etiam rationem Marcianus his verbis: *Quod enim quis sepelire prohibetur, id religiosum facere non potest, ut mandatis Principum cavetur.* Sensus est, contra interdicta juris publici expressè vetantia aliquid deditari, nihil potest fieri sacrum, religiosumve, ut pro expositione legis ultimæ, ff. de litigijs, notavi in *cap. final. ut lite pendente*: sed rescripta Principum expressè interdicitur condici cum mortuis pecuniam tanquam rem ineptam, & superstitiosam: ergo contra interdictionem sepulta non potuit fieri religiosa, quia non spectat ad religionem.

COMMENTARIUM

Conclusio
tractatur
& probatur.
EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Iudæi invitati, & renuentes cogendi non sunt Baptismum accipere. Probat eam textus in *cap. ad fidem 25. cap. de Iudæis, 45. dist. cap. 3. junctâ integrâ, hoc tit.* Concil. Tolet. 6. *can. 3.* Tolet. 8. & Tolet. 12. *can. 9.* Alexander III. post Concil. Later. p. 20. *cap. 1. ibi: Statuimus ergo, ut nullus Christianus invitos, vel nolentes Iudæos, eos ad baptismum venire compellat.* Concil. Carthag. *can. 109.* Hoc tempore lex data est, ut libera voluntate unusquisque Christianitatis argumentum suscipiat. Sanctus Gregor. Nazian. *oratione 8.* apud Baronium anno 591. *num. 34.* D. Ambrosius *serm. 13. in psalmum 118.* D. Thomas 2. 2. q. 100. *art. 8.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in præfati Suarez *de fide disput. 18. sect. 3.* Crespetius in *summa juris Pont. verbo Iudæi invitati*, Ant. August. in *epit. juris lib. 12. tit. 1. & lib. 22. tit. 28.* Acunna in *cap. qui sincera, 45. dist.* Petrus Gregorius *lib. 2. syntag. cap. 2. num. 15. & lib. 1. partit. tit. 5. cap. 7.* Mendoza *lib. 3. Concil. illiber cap. 27.* Cabreros *lib. 2. de metu, cap. 17. num. 50.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 7. q. 10.* Majorius *dier. canonic. in colloquio de persid. Iudæor. fol. 647.* Baldinus de editis pro Christianis, in *fin. Fragoso p. 1. de regim. Christ. Reip. lib. 1. disput. 2. §. 7.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 5. num. 3.* Grotius

de jure belli lib. 2. cap. 20. Becanus in 2. 2. *de fide cap. 13.* Suarez *de fide disput. 18. sect. 1. cum sequent.* Cabreros *de metu lib. 2. cap. 17. num. 50.* Hallierius *de sacris electionib. sect. 5. q. 1. §. 10.* Ambianus *ad Tertul. ad Scapal. cap. 2.* Solorzanus *tom. 1. de jure Indiar. lib. 2. cap. 17. & 18.* Gentil. *de jure belli lib. 1. cap. 9.* Ricciulus *lib. 2. de jure person. cap. 31. & 32.* Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 13. num. 33.* Justus Lipsius *lib. 4. polit. cap. 4.* Valdes *de dign. Regis Cathol. cap. 19. num. 5.* Valenzuela *contra Venetos p. 4. num. 181.* Scortia in *select. theorem. 352. epit. 136.* Castropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. disput. 2. punct. 6.* Thomas Delbene *p. 2. de offic. Inquisit. dub. 230. sect. 8.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: omnes homines, tam Judæi quàm Gentiles, vi legis divinæ obligantur ad fidem, & baptismum, ut probant Suarez, & Becanus ubi supra. Ergo Principes, tam ecclesiastici, quàm seculares, qui custodes sunt, & ultores legis divinæ, cogere possunt Judæos & infideles sibi subditos ad suscipiendum baptismum: quod docuit Christus Dominus exemplo, & parabola: exemplo, dum per terrores compulit Saulum ad fidem profitendam, ut refertur *Act. Apost. cap. 9. vers. 4.* parabola, dum apud Lucam *cap. 14. vers. 23.* Paterfamilias præcepit servo suo, ut exiret in vias, & plateas civitatis, ut compelleret intrare ad cœnam quoscumque invenisset. Ergo omnes Judæi, & infideles compellendi sunt intrare in Ecclesiam per fidem, & baptismum. Accedit nam susceptio fidei per baptismum non cedit in præjudicium Judæorum, seu infidelium, sed in eorum commodum: ergo nulla fit eis injuria, si ad baptismum compellantur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam Judæi fidem suscipientes coguntur eam servare, & retinere, *novel. 55. Leonis*, etiam si per vim, & necessitatem eam susceperint. Concil. Tolet. 4. *relatum in cap. de Iudæis, 45. dist. ibi: Oportere, ut fidem, quam etiam vi, & necessitate susceperunt, tenere cogantur.* Ergo & cogi possunt illam suscipere. Augetur secundò hæc dubitandi ratio exemplo clarissimorum Principum, qui Judæos cogerunt baptismum suscipere; nam Sisebutus Rex Gothorum in *l. 3. tit. 3. lib. 12. legum Wisigoth.* ianxit ut omnes Judæi in Hispania commorantes baptizarentur, aliàs quisquis transgressor reperi- tus fuisset, turpiter decalvatus centum flagella susciperet, & bonis ejus fisco applicatis in exilium mitteretur. Unde quam plures ex eis baptizatos fuisse referunt Lucas Tudenensis in *chron. mundi*, Rodericus Tolet. *lib. 2. cap. 17.* Alfonso Carthag. in *Reg. Hisp. anaceph. cap. 31.* Joannes Basseus in *chron. anno Christi 616.* Sahabedra in *chron. Goth. cap. 18.* Et cum eorum aliquot milia in Galliam effugerent, turpe visum fuit Dagoberto Galliarum Regi à Gothis ejectos religionis nostræ hostes indomitos finibus suis receptos retinere, ac Wisigothis religione cedere: quare ipse diem præscripsit, intra quam quisquis mortalium religionem nostrâ non profiteretur, hostis judicaretur, comprehensusque capite lueret. Referunt Paulus Æmil. *de rebus Francor. in Dagobert.* Aymonius *lib. 4. hist. Francor. cap. 22.* Baronius anno 614. *n. 41.* Et in *l. qui post sanctam, §. qui verò, C. de Paganis*, jubentur confiscari bona Paganorum nolentium baptizari: & in *leg. Callicularum, C. de Iudæis*, coguntur Callicola

eisdem pœnis, ac Hæretici fidem recipere. Ergo quia Judæi cogi possunt baptismum suscipere.

7.
Traditur
decidendi
ratio.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, quæ magnâ nititur ratione; nam credere est munus animæ, cui nulla vis inferri potest, ut docuit D. Augustinus in *lib. de utilit. credentium*, & *tract. 16. in Ioannem*, dum ait: *Cetera posse hominem, etiam nolentem; credere non nisi volentem. Faciunt Quintus Curtius lib. 8. ibi: Nemo Rex perinde animis potest imperare, ac linguis. Laet. Firmianus lib. 5. divin. Instit. cap. 14. ibi: Quis enim imponat mihi necessitatem, vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi? Nihil tam voluntarium, quam religio est, in qua si animus averfus est, iam sublata, iam nulla est.* Quod præcipue in fide Catholica procedit, quæ suapte natura, eo quod supernaturalis existit, non est hominibus in hoc sæculo demonstrabilis, ut possit intellectus ad ipsam amplectendam convinci, juxta illud *Ecclesiastici cap. 3. Altorum ne quaeris*; id est ratione naturali ne fidei mysteria perscruteris; atque inde consequitur, non nisi per spontaneum voluntatis obsequium divinitus per gratiam acquisibilem esse, juxta D. Paulum 2. ad *Corinth. cap. 10. in captivitate reducentes omnem intellectum, in obsequium fidei.* Quod agnoscens plures Ecclesiæ PP. docuerunt religionem imperandam non esse. D. Bernardus *sermon. 66. in Cantica. Fides suadenda est, non imperanda.* D. Athanas. in *epist. ad solitariam vitam agentes. Pia religionis proprium est non cogere, sed suadere.* D. Ambros. in *epist. 2. ad Corinth. cap. 1. ubi exponens illa verba: Non quia dominamur fidei vestra, ait: Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est.* Ideo dicitur, non quia dominamur fidei vestra; dominatus enim necessitatis causa est. D. Hieron. *tract. de 7. ordin. in 6. gradu, sub finem.* D. August. *epist. 48. 50. 127. 129. 158. 159. 160. Optat. Milevit. lib. 1. lib. 2. lib. 3. & 7. D. Gregor. lib. 1. epist. 45. Adhibendus est sermo Judæis convertendis, qui errorum in ipsis spinas urere debet; & predicando, quod in his tenebrescit, illuminet.* Tertul. ad *Scapul. cap. 2. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Theodoricus apud *Cassiodorum lib. 2. var. epist. 27. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Et *lib. 10. epist. 26. Nam cum divinitus patitur multas religiones esse, nos unam non audemus imponere; retinemus enim legisse, voluntarie sacrificandum esse Domino, non cuiusquam cogentis imperio.* Accedit, nam quomodo placere potest Deo Judæi coacti conversio, cum ipse homines omnes in suo arbitrio relinquit voluerit, ut ita homo, qui ex suo libero arbitrio perit, etiam ex libero arbitrio convertatur, ut docetur in *d. cap. de Judæis, cap. gratia, cap. ad fidem, 45. dist. Quod etiam & in amicis petunt Aristotel. lib. 8. Ethicor. D. Isidor. lib. 2. de summo bono, cap. 2. ut nemo invitus amicus fiat. Facit etiam, nam apud Gentiles victima, quæ aliquo modo se invitam ad aram, & cultum trahi significabat, ut si ab ara profugisset, aut nimis esset reluctata, aut percussa mugitus ederet, à Romanorum & aliarum gentium sacrificiis rejiciebatur, quia putabatur ingrata esse Deo, ut tradit Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 5. Plinius lib. 8. cap. 45. Plato lib. 8. sympos. cap. 8. Tiraq. in notis ad Alex. lib. 3. genal. cap. 16. Brissonius lib. 1. de formul. pag. 17. juxta illud Virgil. lib. 2. Georg.**

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Unde tentabatur voluntas victimarum ante immolationem, juxta illud Virgilii *lib. 2. Aenæd. Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro Summa notant pecudum.*

Immo tantum studium fuit in observandis victimis, ut nisi annuerent sacrificiis, non offerrentur, ut notavit Rabbi Textorius *lib. 1. officina, cap. 2. & latè illustravit Pater Pinto in spicil. tract. 1. cap. 47. num. 5. Rectè ergo in præfenti Clemens III. juxta prædecessorum suorum sententiam decrevit Judæos cogendos non esse fidem Catholicam profiteri, baptismumque suscipere. Idemque dicendum est circa filios Judæorum, seu infidelium, qui non possunt abduci à parentibus, & illis invitis baptizari, etiam si parent Principibus Catholicis, ut latè probant Solorzanus *d. lib. 2. de jure Indiar. cap. 17. Narbona de atate, anno 7. q. 10. Ricciulus d. lib. 2. de jure person. cap. 32. per totum Fragos. de regim. Christ. Resp. p. 1. disput. 2. §. 7. Diana p. 8. tract. 1. resol. 1. Prado de Sacramentis tom. 1. q. 68. dub. 7. videndus Baronius anno 259. num. 8. & 9. qui rectè contrarium resolvunt circa filios hæreticorum, & apostatarum à fide; nam cum Ecclesia possit eos cogere religionem Catholicam retinere, & observare, poterit & illis invitis eorum filios baptizare.**

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, cui respondendum est negando consequentiam, nam Prælati ecclesiastici non possunt cogere Judæos Infideles fidem Catholicam profiteri, cum in eos jurisdictionem non habeant, ut ait D. Thomas *dicta q. 10. art. 4. & colligitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. cap. 12. Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? Nec etiam possunt Principes sæculares, etsi temporalem jurisdictionem in eos exercent; quia potestas, & jurisdictione illorum Principum ordinatur tantum ad finem naturalem, nec extenditur ad finem supernaturalem, sed ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, at susceptio fidei per baptismum non pertinet ad finem naturalem, sed supernaturalem. Ergo potestas, & jurisdictione Principum secularium ad ea non spectant. Nec obstat quod ex factis Christi cum Saulo, & parabola supra relata expendebamus; nam respondeo dupliciter. Primò quod licet Paulus ab initio esset renuens, dū persequeretur Ecclesiam, tamen satis expressit propriam voluntatem, dum dixit: *Domine, quid me vis facere?* Unde non potest dici, invitum fidem non suscepisse ut docent Ricciulus *d. lib. 2. cap. 31. num. 15. Turriscremata in d. cap. de Judæis, 45. dist. Per parabolam etiam relata à D. Luca eorum, qui ad cœnam intrare compelluntur, non significantur Judæi, de quibus hic agitur; sed potius hæretici, & scismatici, qui ratione baptismi pertinent ad jurisdictionem Ecclesiæ, & compelli possunt, ut redeant ad unitatem corporis Christi, ut exponit locum illum D. August. *epist. 50. ad Bonifacium.* Et si adhuc accipiamus parabolam illam de infidelibus, vel Judæis, tunc compellere non accipitur pro violenta compulsionem, sed pro vehementia amoris Christi, quo cupit omnes ad fidem converti, in Ecclesiæ que gremium ingredi, ut docuit D. Thomas *q. 22. de veritate, art. 9. ad ultimum.* Nec etiam obstat, quod baptismus non credit in præjudicium infidelium, nam respondeo, quod licet spontanea fidei professio non cedat in præjudicium eam suscipientis, cogi tamen, & compelli**

compelli ad susceptionem baptismi in magnum gravamen illius, qui cogitur, cedit; & quidem gravamen contra justitiam, cum cogatur ab eo, qui talem potestatem compellendi non habet; quod facile explicatur exemplo voti, nam votum castitatis sponte emissum non cadit in præjudicium votantis; cogi autem ad votendam castitatem ab eo, qui potestatem non habet, est injuriosum ei, qui cogitur. Nec etiam obstat, quod qui fidem semel susceperunt, etiam per vim cogantur eam retinere; nam aliud est cogi ad suscipiendam novam fidem, aliud ad retinendam eam, quam semel suscepit; illi enim cogi non possunt ad baptismum; isti verò cogi debent omnino, ne fides semel suscepta apud eos vilis, & contemptibilis videatur, *cap. quidam, de apostatu, cap. contra Christianos, de heretic. lib. 6. cap. plerique, de consecrat. dist. 3. latè dicemus in cap. ad abolendam, de heret.* Nec tandem obstat Sisebuti Regis factum, quod improbarunt PP. Concil. Tolet. *can. 56. relati in cap. de Judæis, 45. dist. 8. & D. Idorus in chron. Goth. era 651. ubi agens de Sisebuto ait: Quin initio regni sui Iudæos ad fidem Christianam movens, amulationem quidem Dei habuit, sed non secundum scientiam. Potestate enim compulsi, quos provocare fidei ratione oportuit. Appellatur tamen gloriosus idem Princeps à Patribus in dicto canone non propter factum, sed propter zelum; dixi in cap. majores, de baptismo.*

9. Sed supra tradita assertioni obstat textus in *cap. jam verò 23. q. 8.* ubi expressè D. Gregorius jubet Januario Calaritano Episcopo, ut per tributorum impositionem rusticum cogat ad fidem Catholicam suscipiendam; igitur quia Judæi in viti ad Baptismum cogi possunt. In qua difficultate communitè Glossa, Archidiaconus, & Præpositus, quos sequitur Ricciulus *lib. 2. de jure personar. cap. 21. num. 23.* accipiunt Gregorium de rustico jam baptizato in hæresim lapsò, qui cum pertinax esset, jubet Gregorius, ut cogatur fidem retinere. Sed hæc solutio aperte vincitur ex ipsa epistola D. Gregorii, ex qua desumptus est textus in *d. cap. iam verò*, quæ reperitur *lib. 3. epist. 26. ubi: Accidit autem aliud valde lu-*

*gendum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestra permisit. Et quid vos admonet, ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est, vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Et statim sequitur textus in d. cap. iam verò. Ex quibus verbis expressè constat, agere D. Gregorium de rustico pagano, qui nondum fuerat baptizatus. Quare eà solutione omisà dicendum est, quod etiam infideles non possunt cogi vi præcisà ad ad suscipiendam baptismum, possunt tamen blanditiis, suasionibus, & præmiis invitari, & cogi ad baptismum. Unde idem D. Gregorius *lib. 4. epist. 6. scripsit, ut Judæis baptizatis aliqua pars tributorum remittatur, ut ita ipsi alliciantur ad fidem Catholicam suscipiendam, ibi: Pervenit ergo ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, ut per omnes possessiones, in quibus Hebræi ipsi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum Deum nostrum Iesum Christum ex eis conversus fuerit, onus pensionis eius ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, si solidi pensionem habet, tremissis ei relaxari debeat: si tres, vel quatuor, unus solidus relaxetur: si quid amplius, jam juxta eundem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod dilectio tua præviderit: ut & ei, qui convertitur, onus releveretur; & ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus eos ad Christi gratiam perducamus: quia etsi ipsi minus fideliter veniunt; hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucratur. Et ideo non est grave, quidquid de pensione pro Christo dimittimus. Ideo jubet Gregorius in dict. epist. 26. Episcopo Caralitano, ut Judæis omnia tributa imponat, servatâ tamen eorum justitiâ, ut ita spe præmii saltem alliciantur ad suscipiendum Baptismum.**

CAPVT X.

a Clemens III.

QVAM sit laudabile, &c. *Et infra:* Tuis, frater Episcope, petitionibus annuente, tibi, tuisque sociis, cum ad prædicandam Christi fidem ^b paganis exhibitis, Ap. auctoritatè concedimus, ut vobis ^c his cibis cum modestia & gratiarum actione, servatâ temporum qualitate, juxta canonicas sanctiones uti liceat, qui vobis ab ipsis infidelibus apponuntur. Insuper indulgemus, ut quicumq; viri, seu monachi, five clerici, idonei ad nunciantiam Gentibus Evangelicam veritatem, requisitâ, ^d & habitâ Prælatorum suorum licentiâ, tibi voluerint adherere, id absque contradictione qualibet exequendi liberam habeant Apostolicâ auctoritate facultatem.

NOTÆ.

1. ^a *Dem.*) Clemens videlicet III. ut legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap. 4.* nulli tamen exprimitur, cui referibat Pontifex; unde non constat, de qua Paganorum provincia in præsentia agatur; credo tamen in præsentia agi de provincia Livoniensium, qui his temporibus

Clementis III. fidem Catholicam susceperunt, ut retuli in *cap. Deus, de vita & honest. cleric. cap. final. de divort.*

^b *Pagani.*) Pagani, qui dicantur, exposui in *cap. 2. de constitut.*

^c *His cibis.*) De prohibito convivio cum Paganis, & Judæis egi in *can. 5. Concil. Illiber.*

^d *Requisita*

2.

d *Requisita & habita.*) Quia munus prædicandi proprie ad Episcopum spectat, ut probavi in *cap. inter cetera, de offic. ordin.* vel ad eos, quos ipse elegerit, ut dicemus in *cap. excommunicamus*, §. qui vero, *de heretic. & docent* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 76.* Solorzanus *tom. 2. de jure Indiar.*

lib. 2. cap. 18. num. 16. & ex hoc textu decisum fuisse quæstionem in supremo Indiarum Senatu emergentem de Patribus Societatis Jesu intendentibus tantum prædicare verbum Dei apud Japones, refert idem Solorzanus *lib. 3. cap. 18. num. 18.*

CAPVT XI.

a Idem.

Significavit nobis tua fraternitas, quomodo aliqui civium tuorum in ^b Alexandriam valeant proficisci pro recuperandis concivibus suis, qui illic in captivitate tenentur: hæc arbitramur possibile fieri, dummodo nihil in mercibus, vel alio modo secum illic deferant, unde possit Sarracenis, excepto redemptionis articulo, aliquod commodum, vel subsidium provenire: quod etiam coram te prius juramento firmabunt. Illi quoque, qui post treugam in transmarinis partibus factam cum commercio Alexandriam adiverunt, si detulerunt merces prohibitas causâ ^c lucrandi, excommunicationis vinculum non evadunt: similiter & illi, qui in personis propriis non euntes, merces eò per alios destinarunt. Ad ultimum illos, qui juraverunt se amplius in terram Sarracenorum cum mercibus non ituros, nisi pax esset inter Christianos, & ipsos, & post ^d treugam factam venerunt illuc illa conditio de pace, vel de treuga habenda ab excommunicationis vinculo non absolvit.

NOTÆ.

a *Idem.*) Clemens III. videlicet, ut exprimitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* etsi non constet, cui Prælato missa sit præfens Decretalis.

i. ^b *Alexandriam.*) Alexandria Metropolis est non solum Ægypti, verum etiam Thebaidis, & Libyæ, quæ Ægypto adjacent, ut dicemus in *cap. antiqua de privil.* temporibus Clementis III. occupata erat à Sarracenis & quia bellum in his

partibus pro recuperanda Terra sancta tunc gerebatur, ideo plures captivi in his provinciis à Sarracenis habebantur.

^c *Lucrandi.*) Quia in hac prohibitione non attenditur animus, sed effectus, si videlicet validior redditur inimicus, *l. 4. C. qua res export. extravag. Multa, hoc tit.* pluribus relatis docet Hermosilla in *l. 2. r. tit. 5. part. 5. num. 3. & 10.*

^d *Treugam.*) Treuga quid sit, & quatenus distet à pace, exposui in *cap. 1. de treuga, & pace,*

CAPVT XII.

a Clemens III.

Quod olim præceptum fuit, & c. *Et infra:* Sanè licet hoc fuerit in Lateran. Concilio districtè inhibitum, nos tamen de consilio fratrum nostrorum omnes illos excommunicationi supponimus, qui iam amplius cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios, navibus, seu quocumque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia impenderint, quamdiu inter vos, & illos guerra duraverit. Vestra igitur disc. mandamus, atque districtè præcipimus, quatenus nec per vos, nec per vestras naves, nec alio quocumque modo, aut ingenio eis mercimonia, consilia, seu alia subsidia transmittatis, ne si fortè aliqui in suâ malitiâ indurati, secus agere præsumpserint, non solum ipso jure incidant in excommunicationem illam, verum etiam illi iram Dei viventis incurrant.

NOTÆ.

a *Idem.*) Clemens videlicet III. ut hebetur in

cap. 6. hoc tit. in 2. collect. & commentarium dedi supra in cap. 1.

CAPVT XIII.

Idem *Archiepiscopo a Senno. & Episcopo Parisiensi.*

ET si Judæos, quos propria culpa submisit ^b perpetuæ servituti, cum Dominum crucifixerunt, quem sui Propheta ad redemptionem Israël prædixerunt in carne venturum, pietas Christiana receperet, & sustineat cohabitationem illorum, quos etiam propter illorum perfidiam Sarraceni, qui fidem Catholicam persequuntur, nec credunt in crucifixum ab illis, sustinere non possunt, sed potius à suis finibus expulerunt, in nos vehementius proclamantes, eo quod sustineantur à nobis, qui ab ipso crucis patibulo condemnant redemptorem nostrum; ingrati tamen nobis esse non debent, ut redderet Christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum; qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare, Mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judæi, quos gratia Principum in suis terris admisit, fecit adeo insolentes, ut illos committant excessus in contumeliam fidei Christianæ, quos non tantum dicere, sed etiam nefandum est cogitare. Faciunt enim Christianas filiorum ^c nutrices, & cum in die resurrectionis Dominicæ illas recipere corpus & sanguinem Iesu Christi contingit, per triduum ante quam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam: alia insuper contra fidem catholicam detestabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Rogamus igitur charissimum in Christo filium nostrum Ph. Regem Francorum illustrem; mandavimus etiam nobili viro Duci Burgundiæ, & Comitissæ Treceen ut tales reprimant Judæorum excessus, ne cervicem perpetuæ servitutis jugo submissam præsumant erigere contra reverentiam fidei Christianæ: inhibentes districtius, ne de cætero nutrices, vel servientes habeant Christianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ; sed tanquam servi à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit; quia cum jam cœperint rodere more muris, & pungere sicut serpens, verendum est, ne ignis receptatus in sinu, corrosa consumat. Quocirca f. v. per A. f. m. quat. prædictum Regem, & alios ad hoc ex parte nostra ita diligenter monere, ac efficaciter inducere procuretis, quod Judæi de cætero nullatenus insolescant, sed sub timore servili prædant semper verecundiam culpæ suæ, & reverentur honorem fidei Christianæ. Si verò Judæi nutrices, & servientes non dimiserunt Christianos, vos auctoritate nostra suffulti, sub excommunicationis pœna inhibeatis districtè omnibus Christianis necum eis commercium aliquod audeant exercere.

NOTÆ.

1. a *Senonensi.*) Ita etiam legitur in cap. unic. hoc tit. in 3. collect. ex qua textum hunc restituo. De Senonensi dicecesi egi in cap. 6. de constitutionibus.

2. b *Perpetua servituti.*) Nam cum grande peccatum admisissent, gravem patiuntur pœnam, & amisã pristinã dignitate, servi Gentium facti fuerunt. Cur autem Judæi tolerentur inter Christianos, varias rationes adducunt Sancti Patres, præcipuè eam, ut testes sint suæ iniquitatis, & nostræ veritatis, ac ut ita alliciantur ad suscipiendam fidem Catholicam, ut expressit D.

August. ad psalmum 56. sermon. 77. ibi: Per omnes gentes dispersi sunt Iudæi testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando fortè aliquis paganus dubitaverit, cum eis dixerimus prophetias de Christo, de codicibus Iudæorum probamus. Librarij denique nostri facti sunt quomodo solent servi post dominos codices ferre. Et lib. de vera relig. cap. 6. Ecclesia Catholica utitur gentibus ad materiam operationis suæ, hereticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.
c *Nutrices.*) Juxta tradita suprã in cap. ad hæc.

CAPVT XIV.

^a Idem.

Postulasti qualiter contra Iudæum procedere debeas, qui manus iniecit in quendam clericum violentas. Ad quod breviter respondemus, quod si dictus Iudæus tuæ ^b jurisdictionis existit, ipsum pœnâ ^c pecuniariâ punias, vel aliâ (secundum quod convenit) temporali, faciens læso satisfactionem congruam exhiberi, alioquin ejus ^d dominum moneas, & inducas, ut passo injuriam, & Ecclesiæ ab eo satisfieri faciat competenter: quod si dominus ejus neglexerit adimplere, tu Christianis omnibus per cens. eccles. interdicas, ne cum ipso Iudæo antequam satisficiat, præsumat ^e commercia exercere.

NOTÆ.

1. ^a **I**dem.) Inscriptionem integram hujus textus dedi in cap. postulasti, de regul. ubi extat alia pars hujus textus.
2. ^b *Tue jurisdictionis.*) Temporalis videlicet, quia forsan Episcopus in ea parte temporalem, & spirituales exercebat jurisdictionem.
3. ^c *Pœna pecuniaria.*) Quia spirituali ipsi Judæi affici non poterant, aliâ nisi ex gravi causa Judices ecclesiastici non debent imponere pœnam pecuniariam, cap. licet 3. de pœnis.
4. ^d *Dominum.*) Temporalem videlicet: unde probat D. Franc. de Amaya in l. 1. c. de exactor. sributor. lib. 10. num. 41. Judicem ecclesiasticum non posse laicum reum criminis mixti fori, vel etiam ecclesiastici propriâ auctoritate incarceratione

re non invocato auxilio brachii sæcularis: quod sæpius vidi pronunciatum in hac Pinciana Can. cellaria. Sed quæstionem hanc disputavimus in cap. postulasti, de homicidio, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

^e *Commercium.*) Eadem pœna Christianis imponitur in cap. etsi Iudæos, cap. ad hoc, hoc titul. cap. de Iudæis. de decimis: unde refertur regulariter licitum esse cum Judæis contrahere: quod probant Maschard. de Iudæis p. 1. cap. 5. Heringius de fidejussor. cap. 8. num. 116. quod & ad societatem extendunt Tiraquel. de primog. q. 66. num. 14. Riccius lib. 2. de jure person. cap. 42. qui rectè monet, nihilominus indignum esse lucricausâ Christianum cum Judæo societatem coire.

CAPVT XV.

Idem, in Concilio ^a Generali.

In nonnullis provinciis, à Christianis Iudæos, seu Sarracenos habitus distinguit diveritas, sed in quibusdam sic quædam inolevit confusio, ut nullâ differentiâ discernantur. Vnde contingit interdum, quod per errorem Christiani Iudæorum, seu Sarracenorum; Iudæi, vel Sarraceni mulieribus Christianorum ^b commiscantur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus per velamen erroris hujusmodi excusationis possit habere diffugium, statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum provincia, & omni tempore, qualitate ^c habitus publicè ab aliis populis distinguantur, cum per Moysen hoc ipsum eis legatur injunctum. In diebus autem lamentationis, & ^d Dominicæ passionis publicè minimè procedant, eo quod nonnulli ex ipsis talibus diebus, sicut accepimus, & ornatiùs non erubescunt incedere, ac Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa præterdunt, illudere non formidant. Illud tamen distri&issimè inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris aliquatenus proflire præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit, præcipimus præsumptores hujusmodi per Principes sæculares condignæ animadversionis adjectione compeisci, ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant.

NOTÆ.

1. ^a **G**enerali.) Lateranensi videlicet sub Innocentio III. ubi cap. 68. reperitur textus hic, & in cap. 1. hoc tit. in 4. collect.
2. ^b *Commisceatur.*) Cujus peccati gravitatem probavi in cap. 78. Concilii illib.

^c *Habitus publicè.*) Quod etiam providis constitutionibus sanxerunt PP. Concilii Ravennat. 2. temporibus Clementis V. *Esti Iudæi de misericordia, & ad testimonium incredulitatis eorum debeant ab Ecclesia, & Fidelibus in suis ritibus tolerari; quia tamen ex ipsorum conversatione permixta multa mala & scandala provenisse noscuntur statuimus, & perpetua*

perpetua stabilitate firmamus, quod Iudæi portent in pannis superioribus certum signum, scilicet rotam panni crocei coloris; & mulieres eorum in capite, ut sic à Christianis possint discerni. Salceburg. tempore Martini V. ubi de foeminis Judæis ita cavetur: Ut mulieres vel virgines dicta superstitioni insudantes, cum se in publicum exhibent Christianorum nostræ provincie, nolam sonantem in aliquâ sui corporis parte deferant. Paulus IV. constitutione 3. quæ incipit. Cum nimis absurdum. Pius V. in constitutione 7. quæ incipit. Romanus Pontifex: quibus cavetur, ut Iudæi masculi biretum, femina verò aliud signum patens, ita ut nullo modo celari possit,

palam deferre teneantur. Unde consuetudines antiquas Ferrariæ, & similibus civitatibus, in quibus promiscuis vestibus Iudæi, ac Catholicis utuntur, improbata esse docuerunt, alia pro ipsarum constitutionum expositione adducentes Riccius de iure person. lib. 2. cap. 43. per totum, Scortia in select. Pontific. constit. theorem. 54. Fragogolo ubi supra. Quæ omnia omitto, ut parum utilia, cum in his regnis jam à temporibus Ferdinandi, & Elizabeth ejecti, & eliminati fuerint. d. Dominica passionis.) Juxta tradita supra in cap. quia 4:

CAPUT XVI.

Idem. ^a in eodem.

Cum sit nimis absurdum, ut Christi blasphemus aliquis in Christianos jura exerceat potestatis: quod super hoc ^b Tolet. Concil. providè statuit, propter transgressorum audaciam & hoc generali Concilio innovamus, prohibentes ne Iudæi publicis officiis præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Si quis autem eis officium tale commiserit, per ^c provinciale Concilium, quod singulis annis præcipimus celebrari, monitione præmissa, distractione, quâ convenit, compescatur: officiali verò hujusmodi tamdiu Christianorum communi in commerciis & aliis denegetur, donec in usus pauperum Christianorum secundum providentiam diocesani Episcopi convertatur quidquid fuerit à Christianis ademptum occasione officii sic suscepti; & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos

NOTÆ.

^a Eodem.) Concil. videlicet Lateran. celebrato sub Innoc. III. ubi cap. 69. reperitur textus hic, & in quarta collectione, sub hoc tit. cap.

^b Toletanum.) Tertium videlicet, can. 14. ubi ita Hispaniæ PP. sanxerunt: Suggestente Concilio id gloriosissimus Dominus noster canonibus inferendum præcepit, ut Iudæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas, nec mancipia Christiana comparare in usus proprios; sed & qui filii ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum: nec ulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur pœnam Christianis inferre. Et si à Gratiano in cap. nulla, § 4. dist. hæc verba Concilio Tolet. 4. tribuantur.

^c Provinciale Concilium.) Juxta tradita supra in cap. sic olim, de accusat.

^d Diocesani Episcopi.) Quia cum ipse qui tale officium contulit Iudæo, suspectus esset, non ejus auctoritate, sed interventus Episcopi pecunia est distribuenda, ut pro conciliatione hujus textus cum capite 6. §. eos, de homicidio, docuit Covarr. in cap. 3. de testam. num. 11.

COMMENTARIUM.

³ EX hac constitutione Concilii Lateran. sequens deducitur assertio: Iudæi, seu Pagani non debent præfici officiis publicis inter Christianos, aut in eos jurisdictionem exercere. Probat eam textus in cap. nulla 14. § 4. dist. cap. constituit 38. 17. quæst. 4. cap. 1. in fine, cap. penult. hoc tit. Concil. avernense can. 8. ibi: Ne Iudæi Christianis populis judices præponantur. Matifcon. can. 13. Ne Iudæi

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

Christianis populis judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. Meldense can. 73. Tolet. 12. can. 9. Narbonense sub Ludovico IX. can. 2. Concil. Regiacinum vulgò dictum can. 20. ibi: Omni ratione caret, & religioni Christiana noxium & contrarium noscitur, ut Iudæi à Christianis regalia exigant, aut ulla civilis, aut criminalis causas inter Christianos judicandi locum habeant, &c. Palentinum anno 1322. can. 21. ibi: Absurdam & irrationabilem corruptelam, quæ in Christiana fidei vergit opprobrium, & jacturam, quæ contra canonicas sanctiones Iudæi & Sarraceni Christianis in publicis præficiuntur officiis, sub quorum prætextu Christianis plurimum sunt infesti, extirpare volentes, universis Ecclesiarum Prælati sub interminatione divini judicii præcipimus, & mandamus, ut Sanctorum Patrum statuta super hoc edita faciant inviolabiliter observari. Gregorius VII. lib. 9. registr. epist. 2. ad Alfonsum Regem Hispaniæ: Iudæos Christianis dominari, vel supra eos potestatem exercere, ulterius nullatenus sinas, quid enim est Iudæis Christianos supponere, atque hos illorum judicio subicere, nisi Ecclesiam Dei opprimere, & sathana synagogam exaltare? & dum inimicis Christi velis placere, ipsum Christum contemnere. Referunt Crespetius in summa, verbo Iudæi officia. Ant. Aug. in epit. lib. 12. tit. 6. cap. unic. hoc tit. in 5. compil. l. jubemus 17. Cod. de Episc. & cleric. aud. l. penult. Cod. de divers. offic. appar. judic. l. sublimitatem. 29. l. 205 42. l. domus 58. in fine l. penult. Cod. Theodof. de heret. l. qui prophano 21. Cod. de paganis, l. 165. Cod. Theodof. dedecur. Novel. Justin. 109. & 144. constitutio Theodofii de Iudæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis, ex qua sumpta est lex finalis, C. de Iudæis, sed

sed paucis immutatis, inter quæ legitur: *Quod de patria honore arripiendo proponitur, cum in Theodosii Novella desit hæc clausula. Cujacius ex Græcis legendum monet, nec patris honorem arripere: quam lectionem firmat Phocius in nomocan. tit. 12. cap. 2. consonant lex 3. tit. 24. part. 7. lex 4. tit. 8. lib. 8. ordin. Carolus lib. 6. capitul. cap. 120. Ne Iudei administratorio usu sub ordine villicorum, atque actorum Christianam familiam regere audeant, nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur. Illustrant ultra congestos in præfenti à Barbofa, & à Cenedo collect. 77. ad Decret. Salcedo in praxi, cap. 23. num. 4. & 10. Petrus Greg. lib. 2. part. tit. 5. cap. 4. Barbofa lib. 3. voto 93. Marquez in Gubernat. Chr. st. cap. 3. ad finem. Mendoza in can. 56. Concil. Illiber. Gutierrez de delict. lib. 11. cap. 22. Acunna in dict. cap. nulla 14. Amaya in l. unic. Cod. de infamibus, num. 61. Fragofo part. 1. de regim. Chrif. Resp. disput. 2. §. 8. Tiberius Decianus tom. 1. tract. crimin. lib. 5. cap. 13. Maiolus dier. canic. colloquio de perfid. Iudeor. fol. 614. Mornacius in l. 6. Cod. de Episcop. aud. & in l. final. Cod. de Iudeis. Hunnius ad Treutl. votum. 1. disput. 7. questione 32. Hopingius de iure insignium, cap. 2. Carball. in cap. Raynaldus, num. 224. de testament. Gutherus de officis domus August. lib. 2. cap. 4. Mancinus de triplici juris collat. cap. 182. Rodericus Caro in histor. Hispanen. lib. 3. cap. 44. fol. 161. Ricciulus lib. 2. de iure person. cap. 28. cum sequent. Fornarius lib. 6. rer. quotid. cap. 8. Cujacius ad tit. Cod. de Episcop. aud. & de Iudeis: Osualdus lib. 18. Donel. cap. 7. littera N. Escobar de Pontif. jurisdict. cap. 23. num. 49. Tapia tom. 2. lib. 1. quest. 5. art. ult.*

4.
Trahitur
ratio du-
bitandi.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita infurgo. Ad officia publica, dignitateque illi sunt admittendi, quibus majora suffragantur merita, quia similibus personis præmia, & honores debentur, l. in nomine, §. hec autem, Cod. de offic. Præf. Africa, l. 1. ff. de Decurion. l. cum quis, Cod. eod. tit. lib. 10. cap. grave, de præbend. Illustrant latè Barbofa lib. 3. voto 93. ex num. 27. Igitur si Iudæus, sive Paganus quis sit, si tamen majoribus pollet meritis, debet ad officia publica eligi. Augetur primò ex eo, nam juxta præceptum Domini relatum in cap. 1. de conjug. servor. acceptio personarum non est habenda, & injustum videtur certum genus personarum ad officia, dignitatesque admittere, alios verò ab eis removere: ergo non debent Iudæi omnes absolute, & indistinctè ab officiis publicis removeri. Augetur secundo hæc dubitandi ratio ex l. Iudæi 8. Cod. de Iudeis, ubi docetur, quod si Iudæus litem habeat cum Christiano, adeatur iudex Christianus. Unde à contrario facile deducitur, quod si habeat litem cum Iudæo, Iudæus est adeundus, qui secundum jus Hebræorum illam decidere possit. Igitur saltem pro eo casu Iudæi iudices esse possunt.

3.
Soluitur
ratio du-
bitandi.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, cujus ratio exprimitur in principio hujus textus, quia videlicet nimis absurdum est, ut Iudæi & Pagani, qui Christum blasphemant, in Christianos vim potestatis exercent: quemadmodum enim tyrannis Christiani nominis hostibus hoc maximè consilium fuit, ut Christianos ab omnibus honoribus, comitiis, foro, & tribunalibus arcerent, ut de Juliano Apostata narrat Gregorius Nazianz. orat. 1. in Julianum:

fic vice versâ Christiani Imperatores merito Iudæis, & Paganis in universum ad Magistratus, & honores aditum præcluserunt, ut refert Theodoretus lib. 1. eccles. histor. Quod absurdum cum cognovissent Patres nascentis Ecclesiæ, cum adhuc Imperatores Catholici non erant, & ex Gentilibus ferè eligebantur, repetitis legibus caverunt, ne Christiani alium Christianum coram iudice Gentili convenirent, ut ita nullam potestatem exercerent Ethnicis in Catholicos, & ut omnis occasio communicandi cum eis tolleretur. Concil. Carth. 4. can. 87. relatum in cap. Catholicus 2. quest. 6. D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 6. ibi: *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, nec apud cognitores seculi judicentur. Unde per sæculi cognitores intelligi Gentiles, probat Mendoza lib. 3. Concil. Illiberit. cap. 38. D. Clemens lib. 2. constit. cap. 50. Non cognoscant ergo omnes controversias, que inter vos oriuntur, neque contra vos infidelium testimonia recipiatis, nec ab his vos judicari velitis. Anacleus epist. 1. ad omnes Episcopos. Alex. I. relatus in cap. relatum 11. questione 1. Accedit, nam Iudæi infames sunt, l. 3. tit. 24. part. 7. junctis congestis à Covar. in Clement. si furiosus, part. 1. §. 6. num. 7. Osualdus lib. 18. Donel. cap. 7. littera N. Lara lib. 2. de capellaniis, cap. 4. Amaya in l. unic. Cod. de infamibus. Quare Juvenalis satyr. 3. vers. 13. quali vilibus & infamibus personis nemora locari consueville ostendit, cum morsu.*

Nunc sacri fontes, nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, sphenumque supellex.

Et gens fortens dicitur ab Ammiano Marcellino lib. 22. & obsæna à Rutilio lib. 1. iimer. Quare à Gentibus maximè exosi sunt, & eorum occurus malè ominatus, ut tradunt Dorleans lib. 2. ad Tacitum, pag. 321. Barthius lib. 2. advers. cap. 12. sed infamibus portæ dignitatum non patent, dict. l. unic. Cod. de infamibus, ubi plura Amaya in l. 2. Cod. de digni. Bronchorst. cent. 4. art. 96. Ergo rectè in præfenti statuitur Iudæos non esse admittendos ad officia publica, & dignitates: quod & ad eorum progeniem, & descendentes extendunt Doctores supra laudati, & citati in cap. eam te 7. de rescriptis.

Unde infertur, Iudæos minimè posse advocacionis officium exercere, l. nemo 15. Cod. de Advocat. Episcop. audient. l. ult. Cod. de postul. faciunt textus in l. probatorias 9. Cod. de divers. offici. lib. 12. cap. nemo 7. de penit. dist. 1. quia publicum officium est pro alio postulare; & non solum nobile, verum & laudabile est officium Advocati, l. laudabile 4. Cod. de advocat. divers. judic. l. prohibendum 7. Cod. de postulando, docent Donellus lib. 18. comment. cap. 3. ubi Osualdus litter. E. Gutherus de officis domus lib. 3. cap. 2. Bulengerus lib. 6. de Imper. Rom. cap. 61. Mastrillus de Magistratibus lib. 2. cap. 12. numer. 6. Amaya in dict. l. unic. Cod. de infamibus, à numer. 87. notavi in cap. 1. de postulando. Unde cum ab hujusmodi officio infames repellantur, ut probant Faber in ration. ad l. 1. §. ait Prator. 8. de postul. Tiraquellus de nobilit. cap. 29. ex num. 11. Iudæi tanquam infames ab advocacionis munere arceci debent, ut probat Ricciulus lib. 2. de iure person. cap. 24. Idem dicendum est de Procuratoris officio, nam præterquam quod publicum est, l. 2. ff. de regul. juris, non vile

& abjectum, sed honestum, & nobile est, ut probat Ant. Faber. in *rational. ad l. Padius 7. ff. de arbitris*, Tiraq. de *nobilit. cap. 30.* P. Gregor. *lib. 9. synag. cap. 4. num. 5.* Ofualdus *lib. 18. Donel. c. 3. littera P.* Bobadilla *lib. 3. Polit. cap. 1. num. 53.* quapropter infames ab hujusmodi officio repelluntur, *c. 1. & 2. 3. questione 7.* Paulus *lib. 1. sent. tit. 2. §. 3.* & *§. final. de exception.* docent Faber in *dict. l. Padius* Ofualdus *dict. c. 3. littera P.* Covar. Bobadilla & Farinacius, quos refert & sequitur Amaya in *l. si quis 34. Cod. de decur. l. 10.* et si contrarium teneat Donel. *dict. l. 18. c. 3.* Nec pro eo facit textus in *dict. l. si quis 34. Cod. de Decur.* nam ut ibi docuit Amaya in eo textu, non agitur de procuratore in iudicio exercenda, sed de administratione, & proeuratore alienarum facultatum, quæ quidem curialibus omnino prohibentur. Vnde Iudæi procuratores in iudicio esse nequeunt, ut probat Ricciulus de *iure person. lib. 2. cap. 26.* et si contrarium teneat Baldus in *l. spaz donem. 15. §. jam autem. ff. de excusat. tutor.* Idem etiam dicendum est de tabellionis officio: tum quia officium publicum est, & per consequens præfenti constitutione comprehensum: tum etiã quia honorabile est, *l. laudabilem 4. ff. de advocat. divers. iudic. l. maximarium 12. Cod. de excusat. numer. lib. 12.* Quare Cassiodorus *lib. 12. epist. 21.* honorabile decus appellavit. Probarunt latè Petrus Gregor. *lib. 42. synagm. cap. 41.* Bulenger. *lib. 6. de Imperat. Rom. l. si quis 34. num. 6. Cod. de Decur. l. 10.* & notavi in *c. 2. ne clericis, vel monachi.* Undè meritò Iudæi à tali officio exercendo arcentur. Ricciulus *dict. lib. 2. cap. 27. per totum.*

7. *Difficili-
tate ratio
dubitandi*

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam verum est, ad dignitates, & officia publica homines virtute pollentes, litterisque conspicuos eligendos esse; tamen similes conditiones dari nequeunt in Iudæis, aut Paganis, cum illi non sint orthodoxæ fidei, sed publici peccatores & quidem immansissimi criminis, videlicet infidelitatis, & idololatriæ: unde nunquam in eis possunt reperiri qualitates, quæ illos dignos reddant dignitatum, aut publicorum officiorum. Et licet acceptio personarum non sit habenda, hoc tamen procedit inter fideles, & professores orthodoxæ fidei, ejusdemque virtutis. Vnde meritò Iudæis & Paganis in omnibus, & quoad omnia præferri debent fideles Catholici. Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex *dict. l. si qua 20. Cod. de Iudæis.* Nam verum est, quod si Iis, sive civilis, sive criminalis, movetur inter Iudæum, & Christianum actorem, sive reum, necessario Iudæus Christianus adendus est, *dict. l. si qua:* cum Iudæi nullam jurisdictionem in Christianos exercere possint: idemque dicendum est, si Iis tractetur inter Iudæos. Nec tunc obstat augmentum difficultatis, nam cum argumentum illud deducatur à contrario sensu, & inde sequatur absurdum, nempe ut Iudæi inter Catholicos commorantes publicis præficiantur officiis, ideo tale argumentum non admittitur.

8. *Expone-
re
§. final.
§. de
ur.*

Sed supra traditis aperto Marte opponitur textus in *l. generaliter 3. §. final. ff. de Decur.* ubi Vlpianus ita scribit: *Eis qui Iudæicam superstitionem sequuntur Divi Severus, & Antoninus honores adipisci permiserunt. Sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non laderent.* Ex D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

quibus disertissimis verbis constat, Iudæos ad honores, atque officia publica admittendos esse, contra hucusque tradita, & expressam Theodosii constitutionem in *l. final. Cod. hoc tit.* Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt utriusque juris Interpretes communiter repetentes hic. Covar. in *Clement. si fur. usus, 1. part. §. 2. num. 8. de homicid.* Ioannes de Platea in *l. omnes, Cod. de Decur. lib. 10.* Amaya *l. in l. unic. Cod. de infamibus, eod. lib. num. 72.* Ofualdus *lib. 18. Donel. c. 7. littera N.* asseruerunt sententiam textus in *dict. l. 3. §. final.* corruptam esse per edictum Imperatoris Theodosii, & valent. in *dict. l. final.* Sed hæc interpretatio facile convincitur ex vulgari principio textus in *l. unic. §. 6. Cod. de veteri jure enucleando:* ubi docetur, nihil contrarium in libris Pandectarum compilatum esse. Nec feliciter Abbas Ananias in *presenti*, Azo, Bartolus, & Baldus in *dict. l. final.* docuerunt, Iudæos quoad ritus eorum, & superstitionem posse adire iudices proprios, id est seniores, quorum iudicium subire tenentur. Verum hæc interpretatio expressè refellitur ex *l. Iudæi 8 §. final. Cod. hoc tit. in illis verbis:* *In his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum, & leges, ac jura pertinent, adeat scientia iudicia, omnesq; Romanis conferant legibus, & excipiant actiones.* Ergo quia nec quoad ritus proprios iudices peculiariter habere queunt: idque expressè colligitur ex facto Pauli relato *Actuum Apost. cap. 23.* ubi conventus coram collegio seniorum ad Cæsarem appellavit: ex quo factò Iudæos nullam habere jurisdictionem probat Gutherus de *officiis domus August.* Nec interest, quod Iudæi synedria sua, hoc est collegia, jure civili etiam approbata retinuerint, *l. Iudæorum 4. l. si qua 15. Cod. hoc tit.* probat Cujac. *lib. 7. obs. cap. 30.* quia nihil in ipsis circa iudicia forensia agebatur, nec seniores in ipsos ullam jurisdictionem exercebant postquam Iudæi per varias gentes dispersi fuerunt sine Rege, & sine Duce. Hac explosa sententiã subtiliter Alciatus *lib. 3. disput. cap. 8.* quem sequuntur Tiraquel. de *primog. q. 66. num. 42.* Decianus *lib. 5. tract. crim. cap. 13. num. 6.* Dorleans ad *Tacitum lib. 2. annal. pag. 319 & lib. 13. pag. 686.* Lofeus de *jure univers. Azevedo in l. 3. tit. 3. lib. 8. Recopil. Mendoza lib. 3. Concil. illiber. Mancinus de triplic. juris collat. lib. 2. cap. 182.* Aldrete *lib. 2. antiquit. Hispan.* Bertrandus de *jure perit. in vita Vlpiani*, ait corrupta esse verba illius textus, & pro illis verbis DD. Severus & Antoninus, reponendum esse D. Verus Antoninusque. Quæ emendatione admittenda, docet Iudæicam superstitionem non intelligi de Iudæis, sed de Christianis, & eorum superstitione, quibus Imperatores Divi Ælius Verus, & Marcus Antoninus, qui Divi fratres appellantur, ut probat Bisciola in *epit. annal. Baronii, tom. 1. anno Christi 163.* concesserunt, ut honoribus frui possent, eo quod in expeditione Germanica bello contra Marcomanos indicto, exercitus ipsorum siti penè deficeret, nisi precibus Christianorum imbre de celo divinitus dimissa futarentur, & ita Imperatores victoria feliciter potirentur, ut referunt Tertullianus in *apolog. cap. 5.* & ad Scapulam *c. 4.* in illis verbis: *Si littera Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum sorte militum imbre diffusam testantur.* Et Iudæos pro Christianis à Gentilibus

Gentilibus usurpari, patet ex Dione Cassio in Domitiano; qui de Flavio Clemente Consule scribit, relictis Romanorum Diis ad religionem Judæorum se contulisse. Notavit Zerda in *advers.* cap. 72. Verum hæc solutio in pluribus peccat. Primò quia notum est, Marcomanicum bellum solum ab Imperatore Marco Aurelio Antonino gestum fuisse, cum jam Imperator Verus apoplexiâ occubisset anno 171. ut referunt Tertul. ubi *suprà* dict. cap. 5. ubi plura notavit Pamelius numer. 64. Eusebius Cæsar lib. 5. cap. 5. Paulus Grotius lib. 7. cap. 15. & constat ex epistola ipsius Imperatoris Marci Aurelii, quæ extat apud Iustinum in fine secundæ apologiæ, ubi ait: *Quinque enim diebus aquam non sumpsimus, quòd non suppeteret; eramus enim in Germania umbilico, eorumque sinibus simul autem ac se humi abjecerunt, Deum precati sunt, quem ego ignorabam, statim de celo pluvia delapsa est, in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grandis ignis specie, & similitudine.* Si ergo Imperator Verus tempore hujus Germanicæ expeditionis jam decesserat, minime miraculi supradicti occasione, ut voluit Alciatus, potuit concedere Christianis, ut honores adipiscerentur. Quare hæc Alciati sententia jam displicuit Anton. Augustino lib. singulari ad modestinum. Covar. in *Clement. si furiosus*, 1. part. §. 2. num. 8. Osuald. lib. 18. Donel. cap. 7. littera N. & notavi in can. 56. Concilii Illiber. Nec etiam rectè Alciatus & Mendoza lib. 3. Concilij Illib. Lipsius lib. 13. *annal. Taciti*, Camerarius cent. 1. *horar. success.* cap. 39. docuerunt Judaicam superstitionem in eo textu referri debere ad catholicam religionem, quam ita infensissimus Christianorum Vlpianus appellabat, ut eontrà Modestinus religionis vocabulo Judæorum sectam decorat, in *l. circumcidere* 11. ff. ad leg. Corn. de sicar. Catholici veram religionem edoceri, cæterorum dogmata superstitionem plerumque dicunt, *l. omnes qui* 49. C. de Decur. lib. 10. *l. curiales* 7. Cod. de heretic. Nam ut probat Amaya in dict. *l. unic.* num. 66. ea verba necessariò referenda sunt ad judaicam religionem, quæ frequenter superstitione appellatur, ob scrupulosas & vanas eorum caremonias.

9.
Referuntur
sur alia
interpretationes.

Succedit alia interpretatio Mascardi de Sufanis in *tract. de Iudeis* 2. part. cap. 6. num. 18. qui asserit Imperatores Severum & Antoninum Judæis honores adipisci permisisse, non omnes, sed eos qui superstitionem eorum laderent, Quam sententiam ut adstruat, textum emendat, & ita legit: *Eos qui judaicam superstitionem sequuntur, Divi Severus, & Antoninus honores adipisci permiserunt, sed & necessitatem eis imposuerunt, qui superstitionem eorum laderent.* Sed cum Maschardus litteram textum corrumpat, audiendus non est. Quare his sententiis omissis, ut veram assignemus interpretationem, sciendum est, constitutionem illam Imperatorum sub tit. de Decurion. à Triboniano compilatam fuisse. Unde ad honorem Decurionatus referenda est, aliàs Tribonianus sub eodem titulo eam non transcripsisset. Quare cum in §. præcedenti actum esset de spuris ad Decurionatus in defectum aliorum promovendis statim Vlpianus in *lib. de offic. Proconsul.* scripsit permissum fuisse Judæis honores accipere, ergo de honore Decurionatus accipiendus est, ut docuerunt Glossa ibi, littera L. & Gothofred. littera P. Barol. in *l. omnes* 49. Cod. de Decur. num. 10. Deinde supponendum est, ad exem-

plum Senatus Romani in aliis municipiis fuisse etiam Curiam, seu minorem Senatum, *l. exemplo* 36. Cod. de Decur. Unde à Curia, cui adscribebantur, Decuriones, seu Curiales appellati sunt, *l. observare. l. Curiales*, l. 2. §. 39 & 47. Cod. eod. tit. sive à decem, quia cum Colonia adducebantur, decima eorum pars, qui deducebantur, consilio publico mancipabatur, *l. Pupillus* 139. §. Decuriones, ff. de V. S. sive ut tradit Cassiodorus lib. 9. *epist.* 2. curiales dicitur sunt à cura, quam habere debent maximè sollicitam de rebus patriæ, & civitatis; & cum ad exemplum Senatus Urbis, Senatus ille minor institutus fuisset in municipiis, Decuriones etiam Senatores dicebantur, *l. omnes* 33. Cod. de Decur. Novella Majorani de Curialibus, in princip. Evagrius lib. 7. Cassiodorus lib. 2. *epist.* 18. & lib. 5. *epist.* 21. & lib. 6. *epist.* 3. lepidissime notavit Aufonius in *Mosella*.

Quos Curia summus
Municipium vidit Proceres, propriumque Senatum.

Docent Pancirola in *notit. de Magistr. municip.* 1. Briffonius lib. 4. *antiqu. cap.* 13. Bulengerus lib. 7. *de Imperio Roman.* cap. 3. Ofwaldus lib. 2. *Donel.* cap. 21. littera E. Bobadilla lib. 3. *Polit.* cap. 8. numer. 8. Amaya in *presat.* ad tit. Cod. de Decur. numer. 1. Tandem supponendum est, quod licet Decuriones hæc nominibus Senatorum, summorumque Primatum decorentur; & licet quam pluribus privilegiis potiantur, quæ congescerunt Pancirola *dict. tract. de Magistr. municip.* cap. 6. Fornerius lib. 1. *selekt. cap.* 12. Gothofr. ad tit. Cod. ad Decur. Bulengerus lib. 7. *de Imper. Roman.* cap. 6. Et licet dignitatem, ac honorem habere dicantur, *l. 2. §. final. ff. de Decur.* junctis traditis à Plateam *l. 1. Cod. eod. tit. num.* 1. Bobadilla lib. 3. *polit. cap.* 8. num. 19. Azeyedo in *Curia Pisan.* lib. 3. tamen odiosum, utpote plenum oneribus, quæ congerit Amaya in *presat.* ad tit. Cod. de Decur. lib. 10. n. 17. & apud antiquos exotum fuit hujusmodi officium, usque adeo, ut albo Decurionum non adscriberentur, nisi invitati, ut constat ex Synesio *epist.* 93. Cassiodoro lib. 9. *variar. epist.* 2. ibi: *Quicquid eis honoris causâ delegabat, ad injuriam potius videbatur esse perductum.* Et si latitabant, ad subeundum munus cogebantur, *l. ex omnibus* 31. Cod. de Decur. immò etiam si domus Augustæ privilegio sese deferrent, extrahebantur, *curiales* 38. Cod. eod. tit. & sic deinceps cogebantur munus implere, ut velut glebæ adscripti, & servi Curia mancipati, ipsam minimè deserere quirent. *l. omnes* 50. *l. si quis* 55. Cod. eod. adeo ut si se subtraherent, honore privarentur. *l. quavis* 31. Cod. eod. tit. Unde velut servi censebantur. Sic Majoranus eos appellat in *Novel. de curialibus*, ibi: *Curiales servos esse Reipublicæ.* Licet ex Cassiodoro lib. 7. *epist.* 47. Cujacius nervos emendaverit, quem sequitur Fornerius in *notis ad ipsam epistolam* 47. Cassiodori; ideoque passim in titulo de Decurionibus lib. 10. eorum ministerium vocatur servitium, officiumque mancipatio Curia; totque incommodis, atque oneribus fatigabantur Decuriones, ut penæ causâ ab Imperatoribus Gentilibus munus hoc Christianis injungeretur, atque supplicii loco ipsi Curia addicebantur. Cassiodorus lib. 6. *ep.* 7. ibi: *Clericis autem omnia privilegia, honores, consuetudinesque, subtraxit, & leges impostas pro eis solvit, ipsosque Curia tradidit.* Et satis innuitur in *l. ne quis* 38. Cod.

Cod. de Decur. ibi: Ne quis officialium pœna specie Curie detur. Ubi Gothofredus littera K. & Cassiodorus lib. 1. histor. trip. part. c. 9. inter illos qui metallis erant damnati, eos qui Curis erant mancipati commemorat: observat Brissonius lib. 4. antiquit. cap. 13. & quod maxime mirandum est, quam plures nuptiis abstinebant, ne liberos Curie obnoxios relinquerent, ut testis est Imperator Justinianus in novel. 38. de Decur. §. 1. ibi: Denique quoniam ipsis corporibus fraudare curam voluerant, rem omnium impiissimam adinvenerunt, à nuptiis legitimis abstinentes

10.
Præcipue
curæ
interpretatio

His suppositis dicendum est, Imperatores Severum, & Antoninum Decurionatum permississe Judæis, quia officium illud plus oneris, quam honoris habebat. Nec credi potest, Imperatores Judæos honorare voluisse, cum omni ævo eos invisos fuisse Romanis, & in derisionem habitos fuisse constet; ipse enim Augustus Cæsar in opprobrium gentis illius Aristobulum, & Alexandrum fratres laqueo suspendit. Tiberius ejus successor sic exosos habuit Judæos, ut eorum sacra, ac caeremonias ab Urbe Senatusconsulto pelleret. Tacitus lib. 2. *Annal.* Consequenter Cæsar Cæsar Philonem Judæum Legatum post Christi mortem pro patriis legibus retinendis maxime irritat, ut referunt Eusebius, & ipse Philo in *libello legationis ad Cæsum*. Claudius Cæsar Cæsar successor edicto suo pelli ex Urbe jussit Judæos. Suetonius in *eodem*, cap. 25. Orosius lib. 7. cap. 61. facit Juvencalis *satyr.* 3. vers. 13.

Nunc sacri fontes, nemo, & delubra locantur Judæis, quorum copinus, fennumque supellex. Probat Dorleans lib. 2. ad Tacitum, Gaspar Barthius lib. 2. *adversar.* Et ut ad tempora Septimii Severi, & Antonini accedamus, certum est, Ælium Alexandrum Imperatorem primo sui Imperii anno Judæos subvertisse, civitatemque Hierosolymam à suo nomine Æliam vocasse, ut referunt D. Hieronymus in *cap. 9. Daniel.* Aloix *advitam S. Ignatii*, tom. 1. cap. 2. Eusebius in *chron. lib. 4. cap. 5.* Gênebrardus lib. 2. *chronograph. pag. 62.* Tandem Imperatores Severus, & Antoninus acriter persecuti fuerunt, ut refert Tertul. in *apolog. cap. 5.* qui miserum eorum statum depinxit: quod & fecit Prudentius contra Judæos, vers. 608. ibi:

*Exiliis vagus huc illuc fluctuantibus errat
Judæus, postquam patriæ de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christianique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.*

Unde facile cognoscitur, Imperatores permississe Judæis Decurionatum obtinere, quia onus erat, ut constat ex supra traditis; ut ita potius gravarentur onere, quam decorarentur honore. Unde postquam Ulpianus refert in *dict. §. 3.* Imperatores permississe Judæis honorem obtinere, ea adjecit verba: *Sed & necessitate imposuerunt*: quæ sensum illum habent, non solum onus Decurionatus, sed etiam alia munera, videlicet onerosa, eis inflixerunt; ideo addita ea conjunctio &, quæ cum superioribus sequentia conjungit: testantur similiter & verba illa, *qua superstitionem eorum non laderent*; nec enim hæc adjecita forent, nisi exprimere voluissent, ut quantumvis in eorum defatigationem onera iniungerent, nolle tamen ut exinde eorum superstitioni lædatur, cum illi in suis synagogis & caeremoniis inquietandi non sint, ut probavi in *cap. 3. hoc tit.* Præsentit hanc solutionem Mela *miscel. jur. c. 12.*

D. D. Gonzal. in *decretal.* Tom. V,

num. 11. Gothofredus in *l. 49. Cod. Theodos. de Decur.* Manet ergo, Judæos non admitti ad honores, & dignitates; admitti tamen ad Decurionatum, quia onus potius continet, quam honorem. Quomodo procedunt textus in *dict. l. ult. Cod. de Judæis*, junctis lege *justio 5. lege quicumque 10. Cod. eod. tit. & lege omnes 49 Cod. de Decur. lib. 10.* Nec contrarium probatur in *l. Manichei 12. Cod. de heretic.* ubi Judæis interdicitur Patres civitatum fieri; nam ut rectè animadvertit Cujac. in *l. 3. Cod. de his qui sponte munus, lib. 10.* Patres civitatum non sunt Decuriones, sed civitatum tantum curatores, ut etiam exponunt Gothofredus in *dict. l. 3. & dict. l. Manichei 12.* ut etiam pecunia publica & operarum publicarum discussores dicuntur in *l. 1. Cod. quibus muneribus excusentur, lib. 10. Novel. constitutio 27. 85. 128. 160.* non verò Decuriones: quapropter de illis intelligenda est dicta lex *Manichei 12. Cod. de heretic. & Manichei*; non verò de Decurionibus.

Secundò suprà traditis obstat textus in *l. Iudæi 8. vers. si qui verò, Cod. de Judæis*, ubi Imperatores Arcadius, & Honorius docent, Judæos arbitros esse posse. Ergo & Judices; siquidem arbitria redacta sunt ad instar judiciorum, *l. 1. ff. de arbitr.* & per consequens officium publicum obtinere possunt; siquidem certum est, judicium officium publicum munus esse, publicaue auctoritate firmari, *l. final. §. 14. ff. de muner. & honor. l. quippe 78. ff. de judiciis, l. 2. ff. de R. I. l. privatorum 3. Cod. de jurisdic. l. 1. ff. eod. l. cum qui 13. eod. tit. Donel. lib. 27. comment. cap. 6. ubi Osualdus littera A. & B. Goveanus lib. 2. de jurisdic. num. 35. Vultenus ad *l. 1. Cod. de jurisdic. lib. 2. cap. 14.* Faber in *ration. ad dictam legem primam, de arbitrariis.* Igitur quia Judæi ad publica officia admitti valent. Cui difficultati facile satisfaciemus, si supponamus arbitrum propriè non esse judicem, sed ita appellari adjectâ illâ particulâ, *ex compromisso*; sicut judices compromissarii sunt, in quos partes additâ penâ compromittunt, *l. minorem 34. §. final. de minor. docet eleganter Scipio Gentilis de jurisd. lib. 2. cap. 8. differit Cujac. in paratit. ad tit. Cod. de judiciis, Petrus Gregor. lib. 47. syntagm. cap. 12. num. 2.* Et ideo non judices, sed partes judicis vocantur, *l. Pomponius 13. §. recepisse 2. de recept. arbitr. l. 14. Cod. de judiciis*: & in quam plurimis judices non habentur, quæ congerit Goveanus *lib. 2. de jurisdic. à num. 31. & Donellus lib. 28. comment. cap. ult. & ibi Osualdus littera C.* Antonius Faber ad *dict. l. 1. de recept. arbitr.* Unde jure civili ex eorum sententia nec exceptio nascebatur usque ad Justiniani nostri tempora: quapropter cum propriè judices non sint, sed tantum partes eorum, nec ullam jurisdictionem exercent, *dict. l. 8. Cod. de jurisdic.* non mirum permissum Judæis arbitrium, ut ita potius, quam cum strepitu judicii intra ipsos motâ controversiæ sopirentur, & magis si observemus, infames ab ejusmodi arbitrio non fuisse depulso, *l. Padius 7. de recept. arbitr. docet Amaya ad tit. de infamis, num. 92.* Unde non adversatur dicta lex *Iudæi 8.* decisioni nostri textus, ibi: *Ab officiis publicis*; quia publicum officium minimè habet compromissarius, nec alter Judex dicitur, quam qui constituitur auctoritate publica, ex qua, ut supra dixi, appellatur officium publicum, quæ in arbitris ut privatis deest, *dict. l. 3. Cod. de jurisd.* Unde tantum officium*

II.
Exponitur
l. Iudæi
8. C. de Iudæis.

officium privatum est arbitrium ferre, nec dignitatem jurisdictionemve ullam continet, ut refert noster Amaya ubi supra. Videndus Gothofredus in l. iudai 10. Cod. Theodos. de iurisdic.

12. Etiam supra traditis obstat textus in l. si spado-
Exponitur l. Spadonem, s. jam au-
tem, ff. de excusat. tutor. ubi Mo-
destinus refert ex constitutionibus (intelligo Se-
veri, & Antonini, de quibus in dict. l. 3. §. final.
ff. de Decur.) Judæos posse tutores esse, etiam non
Judæorum, sed tutela munus publicum est; ergo
Judæi possunt habere publica officia. Accedit
timor perversionis, siquidem facile tutor potest
corrumpere mores populi Christiani, de quo abs-
que dubio sensit Modestinus in eo textu; quare
pupillus educari jubetur penes eas personas, a-
pud quas ipse cultu veteri, moribusque patriis e-
doceri possit, l. 1. & final. ff. ubi pupillus, l. 2. Cod.
hoc titul. Pro cuius difficultatis solutione dicen-
dum est, in eo textu doceri Judæos tutores esse
posse etiam non Judæorum, non quoad ipsorum
educationem, sed quoad bonorum administra-
tionem tantum. Quæ solutio facile probatur ex
illis verbis sequentibus: *sicut & reliqua admini-
strabunt.* Ex quibus facile constat, in præcedenti-
bus actum fuisse tantum de bonorum admini-
stratione, quam recte Judæi habere possunt. Nec
obstat tutelam publicum munus esse, quia ut su-
pra de officio decurionatus dixi, officium tutoris
onus potius continet, quam honorem, ideoque ab
onere tutelæ Judæos excusari non posse. Nec
etiam obstat si dicas, tutorem principaliter da-
ri personæ, non rei, vel causæ, princip. Insit. de tu-
tel. quia licet id verum sit, tamen in præfenti casu
postquam Prætor causâ cognitâ agnoverit non
expedire pupillum morari, seu educari penes
Judæum, ipsi onus administrationis bonorum
injunget, alteri verò educationem pupilli com-
mendabit. Verum etsi jure civili hæc procedant,
tamen attento jure canonico verius est, nec e-
tiam quoad bona Judæos tutores esse posse,
quia licet juxta proximè tradita non possint fac-
ile corrumpere mores pupillorum; tamen cum
insensibilissimi sint Christianis, facile, cum non
possint in corpore, aut anima lædere, in eorum
bona grassabuntur, ut docuerunt Petrus Grego-
rius lib. 2. syntagm. cap. 4. num. 8. & 9. Faber in
Jurisprud. tit. de excusat. tutor. princip. 1. illat. 9. Gu-
tierrez lib. 1. de delict. quest. 21. Cujac. lib. 7. obs. c.
30. qui etiam jure civili attento hoc procedere
affirmat, sed absque ullo juris testimonio, cum
contrarium expressè legamus in dict. §. jam autem.

13. Exponitur l. 1. Cod. de
Epi. au-
ditur.

Ex supra traditis lucem accipit textus in l. Ar-
chigerontes, Cod. de Episcop. audient. ubi ita statui-
tur: *Archigerontes, dicecæque ergastorianorum, non
nisi Christiani dirigantur: quod officium tuum sollicitus
observet excubiis.* Ubi difficile est, quid per Archi-
gerontas, dicecætasque intelligatur; siquidem
eorum officium tantum Christianis committi
statuerunt Imperatores. Acursius ibi Archige-
rontas exponit, id est Archipresbyteros, aut Epif-
copos, vel minores sacerdotes, qui peccata eorum
qui ad metalla damnati erant, audirent. Sed me-
rito eum reprehendit Pancirola lib. 2. variar. c.
173. nam si Imperatores sensissent de presbyte-
ris ad confessiones damnatorum audiendas de-
putandis, frustra statuerent, ut necessariò Chris-
tiani essent, siquidem non solum Christiani, ve-
rum & sacerdotes tales ministri esse debent. Nec
felicis Alciatus lib. 3. dispunct. cap. 18. textum il-
lum accipit de his, qui mensam Principis, aut alia
ejus negotia procurant, cum nullibi legamus si-
miles dispensatores Archigerontas dici. Panciro-
la dict. cap. 73. asserit per Archigerontas in eo
textu intelligi senes, qui gynæciis præerant, ubi
vestes Principum, & lintea texebantur, de quibus
in titul. de Murilegulis, Gynæciariis, & procuratori-
bus Gynæcii, lib. 11. Sed eodem modo refellitur
Pancirola, ac ipse impugnavit Alciatum. Quare
his omisissis, pro vera illius textus interpretatione,
qui reperitur in Cod. Theodos. sub tit. de Alexandr.
plebis Primatibus, ut jam notarunt Pancirola dict.
cap. 73. Cujac. lib. 23. obs. cap. 3. Gothofredus ibi,
dicendum est, Archigerontas vocari Principales
Curie Alexandrinæ, seu quinque Summantes
ordinis Alexandrini, quasi Principes Senatorum
municipalium; curatores verò corporum ejusdem
urbis Alexandrinæ vocant Imperatores Dicecæ-
tas Ergastorianorum, id est curatores corporato-
rum. Statuerunt ergo Imperatores in dict. l. 6.
Principales istos Curie, & corporatum Alexan-
drinæ, Christianos eligi, ut in seditiosissima civita-
te popularium factiones, quibus Christiana ipsa
religio offendi, vel Christiani ipsi præmi potuis-
sent, Principalium auctoritate comprimerentur:
docuit Petrus Burgius lib. 1. elector. cap. 3. quem
sequitur Mornacius in dict. l. 6. Cum enim inju-
stum, ac indecorum sit, Judæos, seu Paganos
præfici Christianis, seu officiis publicis, in quo-
rum exercitio ipsos vexare possint, ideo Impera-
tores noluerunt infideles præponi publicis offi-
ciis, & præponi ipsis corporatis.

CAPVT XVII.

Idem ^a in eodem

AD liberandam terram sanctam. *Et infra:* Excommunicamus præterea, & ana-
thematisamus illos falsos, & impios Christianos, qui contra ipsum Christum
& populum Christianum Sarracenis arma, ferrum, & ^b ligamina deferunt galea-
rum, icos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves: quippe in piraticis Sarraceno-
rum navibus curam gubernationis exercent, vel machinis, aut quibuslibet aliis
aliquid eis impendunt consilium, vel auxilium in dispendium Terræ sanctæ: ip-
sosque rerum suarum privatione mulctari, & capientium servos fore censemus:
præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & festivis hujus-
modi sententia publicè innovetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ,
nisi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de
suo in subsidium Terræ sanctæ transmiserint, ut a quo judicio, in quo deli-
querint

querint, puniantur. Quod si fortè solvendo non d fuerint, sic alias reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis, e interdicitur audacia similia præsumendi.

NOTÆ.

1. a **Eodem.**) Textus hic non reperitur in aliqua ex collectionibus antiquis; extat tamen in Concilio Lateran. sub Innocentio III. celebrato, ubi post canones ipsius concilii ad ejus calcem habetur, ubi legitur, *Expediit pro recuperanda Terra sancta:* ubi varia statuuntur, tam circa Crucesignatos, quam circa deferentes arma ad Sarracenos; & ad medium ipsius constitutionis reperiuntur verba in præfenti transscripta. Cùm enim expeditionem terræ sanctæ sæpè tentasset Gregorius VII. Urbanus II. Gelasius II. Calixtus II. Eugenius III. Alex. III. ut referunt Baronius tom. 11. anno 1095. & tom. 12. anno 1145. scriptores in Bullam Cruciatam laudati à Patre Mendo *disput. 1. in bullam. cap. 4.* ideo vestigiis prædecessorum in hærendo Honorius III. varia constituit pro expeditione ipsius Terræ sanctæ, & in gratiam Crucesignatorum, ac contra eos, qui arma, ferrum, & similia ad ipsos Sarracenos deferrent.

2. b **Ligamina deferunt gallearum.**) Glossa marginalis legit *signamina*, & rectè; sed debebat etiam reponere *Gallearum*, ut refertur apud Matthæum Parisium anno 1234. ibi: *Qui Saracenis arma, ferrum & lignamina deferunt gallearum,*

hoc est materiam ad fabricandas naves longas, ut explicat Vossius *de vitis sermon. lib. 3. cap. 21.* & suadet hæc expositio ex verbis sequentibus, ubi prohibetur Christianis vendere Sarracenis naves, & galeas; aliàs enim superflua, parumque necessaria videbatur præfens constitutio, si retineretur vulgaris lectio *ligamina gallearum*, cum quælibet ligamina facillè apud ipsos fabricarentur: & galeæ similiter, si acciperentur pro pileo, aut tegumento capitis militum, de quibus plura Turnebus *lib. 28. advers. cap. 16.* Zerda *ad illud Virgil. 7. Æneid.*

c **Cur triplici crinita jubâ, galea alta chimeram.** Scubechius *ad Vegetium lib. 1. cap. 20.* Accipienda ergo est præfens constitutio de galeis, videlicet navibus longis, de quibus, & earum forma plura Morifotus, *lib. 7. orbis maritimi, cap. 7.* Salmasius *in obser. ad jus Atticum, cap. 28.*

d **Non fuerit.**) Juxta tradita *in cap. 3. de temporibus ordin.*

e **Alis interdicitur audacia.**) Quæ est potissima ratio pœnarum, ut probavi *in cap. 13. §. ceterum, de offic. ordin.*

Commentarium hujus textus dedi supra *in cap. ita quorundam.*

CAP V T XVIII.

Gregor. IX. a *Astoricen. & Lucen. Episcopis.*

EX speciali, quem erga b illustrem Regem Portugallia gerimus c charitatis affectu. *Et infra:* Mandamus quatenus Regem ipsum sollicitè inducat, ne in d officii publicis Iudæis Christianis præficiat, sicut in generali Concilio continetur: & si fortè redditus suos Iudæis vendiderint, vel pagani, Christianum tunc deputet e de gravaminibus inferendis clericis & Ecclesiis non suspectum, per quem Iudæi, sive Sarraceni sine Christianorum injuria jura f regalia consequantur.

NOTÆ.

1. a **Astoricensi & Lucensi.**) Vtraque diœcesis est Hispaniæ: de Astoricensi legi *in cap. 17. de re judicata:* de Lucensi *in cap. 4. qui clerici, vel vou.* Rescribit autem Gregor. in præfenti his Episcopis, ut facilius ipsi inducere possint Regem Lusitaniæ: tum quia viciniore erat ipsius regni, cùm essent in regno Legionis, & Galleciæ: quia cùm non essent in ipsius ditione, facilius poterant Regem ipsum monere, arguere, increpareque de tanto excessu. His temporibus Gregorii IX. sceptrum Lusitanicum tenebat sanctius XI. cognomento Capello, maxime desidiosus ignavissimusque in cura sui regni, ut apparet *ex cap. grandi, de supplend. neglig. lib. 6. & referunt de eo agentes Duardus Nonius ad libellum Iosephi Texeri, censur. 29. Mariana lib. 3. Histor. Hispan. cap. 4. Garibajus tom. 4. compend. historia, lib. 34. cap. 18. Aut. Vasconcellos in anacephalosis, in sancio. Faria de Sousa in epitom. Histor. Portugal. 3. part. cap. 5. & 6. Spondanus tom. 1. post Baronium, anno 1245. num. 30. & 1268. num. 8. & 1272.*

num. 3. Et his temporibus Lusitaniæ regnum feudatarium Ecclesiæ Romanæ absque dubio agnoscebatur, ut referunt Martha *de jurisd. cap. 26. ex num. 95.* cujus feudi originem tradunt Rodericus Toletanus *de rebus Hispan. lib. 7. cap. 74.* Genebrardus *in sua chron. Garibay part. 4. lib. 34. cap. 16. & de eo Innoc. III. ipsi Regi Portugallia ita scribit lib. 1. epist. fol. 47. Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in regestis bona memoriae Lucii II. Rom. Pontific. reperisse, quod recolenda mem. A. Pater tuus quatuor auri uncias annuat in Romana Ecclesia constituit censuales: ad quarum solutionem se, & heredes suos in posterum obligavit. Ceterum cùm idem pater tuus usque ad tempora felicis memoriæ A. Papa prædecessoris nostri, Ducis esse nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, ut tam ipse, quam ejus heredes regio nomine vocarentur. Ut autem idem pater tuus sacrosanctam Rom. Ecclesiam matrem suam honore debito præveniret, & ut devotionem, quam circa ipsam habebat, ostendat in effectu, centum Byzantios annuatim Romana Ecclesie constituit censuales, quos post susceptionem regni nominis nec ipse solvit, nec tu postmodum solvere.*

vere curavisti. Cumque id felicitis recordationis Clemen-
tini Papae praedecessori nostro relatum fuisset, ma-
gistro Michaelitunc Ecclesiae Rom. Notario, quem ad
partes Hispaniae destinavit, per suas dedit litteras in
mandatis, ut re ad exsolvendum censum annuum
monere diligentius, & inducere procuraret, & si opus
esset, auctoritate fretus Apostolica compellere non
differret.

b *Illustrum.*) De titulo Illustris Regibus,
supremisque Principibus à Sede Apostolica as-
signato, egi in cap. nov. r. de officio Legati.

c *Charitatis affectu.*) Nam Alfonso I. Dux
Portugaliae, qui ab Alexandro III. titulum Re-
gis accepit, totum Regnum Lusitanum vectiga-
le fecit Ecclesiae Romanae, ut constat ex Inno-
centio III. lib. 1. epist. 144. 151. & 152. & lib. 3.
regestr. 15. epist. 24. ubi refert Bosquetus.

d *Officii publicis.*) Quenam illa sint, expo-
sui in cap. cum nimis, hoc titul. ubi commentarium
hujus textus dedi.

e *Gravaminibus.*) Quae non levia inferuntur
ab his publicanis, & exactoribus, ut probant la-
te Erasimus Chochier lib. 2. Polit. cap. 10. Proco-
pius in hist. arcana. fol. 100. Fornerius lib. 6. ver.
quotid. cap. 12. Valesius in notis ad Ammianum Mar-
cellinum fol. 210. Amaya ad tit. Cod. de exactor.
tribut. Solorzanus embl. 84. & 2. tom. de jure In-
diar. lib. 1. cap. 2. ex num. 48. & lib. 5. cap. unic. Gi-
balinus tom. 1. de negotiis lib. 1. cap. 2. art. 15.

f *Regalia.*) Id est Gabellas, tributa, & similia
jura, quae congerunt Alfaro de officio fiscal. gloss.
20. cum sequent. Parexa de instrum. edit. tit. 5. resol.
9. Cabelo 2. part. decis. 42.

CAPUT XIX.

Idem.

Nvlli Iudaeo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo servi-
tio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conversum causam mercimonij
emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus, datis pro eo XII.
solidis ab illius servitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum ven-
nalem non exposuerit, vel ad sibi serviendum emerit eundem, nec ipse vendere,
nec alius audeat comparare: sed nullo pretio perducatur ad praemia libertatis.

NOTA.

I.

a *Idem*) Gregorius videlicet IX. qui praesen-
tem constitutionem edidit, ut confirmaret,
& ampliaret decisiones textus in cap. 1. cap. ad
hoc hoc titul. circa servos à Sarracenis possessos,
circa quos sequentes casus sunt distinguendi; si
enim servus verna sit, id est natus domi, vel itaque
fieri Christianus, statim nullo pretio dato eripi-
tur in libertatem, cap. fraternitatem, § 4. dist. 1. Deo
nobis, § his itaque, Cod. de Episc. & cleric. Si autem
sit emptus, distinguendum est, quia aut erat Chri-
stianus, cum emptus fuit, aut Paganus: si erat
Christianus, indistinctè in libertatem eripitur
nullo pretio dato, quia Christiani commercium

est Iudaeo penitus interdictum, cap. mancipia, § 4.
dist. Si autem sit emptus dum erat Paganus, aut
causam servitij, aut mercimonij gratiam emptus fuit.
Primo casu, si vult Christianus fieri, absque
ullo pretio eripitur in libertatem, dict. cap. si fra-
ternitatem. In secundo vero casu, si infra tres men-
ses Iudaeus non exposuit eum venalem, si Catho-
licam fidem profiteri velit, etiam sine ullo pretio
eripitur in libertatem, quia creditur ad servi-
endum eum emisse: si vero infra tres menses expo-
suerit eum venalem, & infra eos, vel post vel ita
Christianus, dum tamen non steterit per domi-
num, quominus eum vendiderit, soluto pretio
duodecim solidorum servus redimitur.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

CAPUT I.

a Stephanus Papa omnibus Episcopis.



Vbius in fide, infidelis est. Nec eis omnino b credendum est, qui fidem
veritatis ignorant.

NOTA.

I.

a *Stephanus.*) Ita etiam legitur in prima col-
lectione, sub hoc titul. cap. 1. sed verba in

praesenti relata reperiuntur in can. 45. Synodi
Nicanae, & in can. 4. collectionis Hadriani Papae,
& in epist. 1. Sixti I. ubi ait: De cetero plerumque prop-
ter malorum hominum infestationes, ut in accu-
satione